QVÆSTIO

Num ad Regnum Dei possidendum necesse sit in nullo peccato Evangelicæ doctrinæ adverso manere?

contra

BALTHASAREM MEISNERUM

Theol. D. & in Acad. Witteb. Prof. P.

à

IONA SZLICHTINGIO

á Bukowiec

disputata.

Typis Pauli Sternacii.

Anno Domini

1635.

IOANNI GEORGIO
á Bukowiec SZLICHTINGIO
Terræ Schovenſis Iudici,
PATRUELI MEO CHARISSIMO.

PRimitias haſce diſputationis meæ, contra Balthaſarem Meiſnerum, Theologiæ quondam Doctorem, & Profeſſorem publicum, virum ſanè doctũ, & vitâ dignum longiore, tibi defero Szlichtingi, communibus mecum orte majoribus. Nam cui potiùs, quàm tibi, meo ſangvini? Etſi enim omnium ſaluti conſultum cupio, meorum tamen imprimis me tangit cura. Quamvis autem multa ac varia mihi cum Meiſnero diſputata ſint, ita ut vix ullus controverſorum dogmatum lo intactus ſit relictus: tamen
quæſtione, qu
ctatur, nulla

cognitioneq́; dignior, nulla utilior & magis omnibus neceſſaria. Quid enim, per Deum immortalem, noſtra ſcire plus intereſt, quàm quid facto ſit opus, quáve vitæ ſanctitate nos eſſe pręditos oporteat, ſi regni Dei hæreditatem adipiſci velimus? Hoc primum omnium eſt, quod poſt ſuſceptam in Chriſtum fidem, ab unoquoq; ſummo ſtudio quæri, cognoſci, ritèq; debet intelligi. Hoc fundamento rectè collocato, vel reliqui ſua ſponte cedent errores, vel ſi qui reſederint, non tam noxii erunt. At hîc impingere ſine certa pernicie ſalutisq; iactura non datur. Cùm igitur quæſtionem hanc ita me in iſto opuſculo tractaſſe exiſtimem, ut inter devia, medio ver[illegible]anctitatis itinere cõm[illegible] una parte oſtende-[illegible]ſtiano progredi

non

non liceat, ne vitiis affinis fiat: ex altera verò, quousq; non necesse sit, ne desperatione concidat: tibi illud dicatum volo, ut tuo sub nomine communi omnium prostet usui. Æquum enim est, ut à te & in alios manet utilitas. Tuum autem erit imprimis, videre quid hîc veri sit, & ut in re tanta omni errore libereris, omnem operam ponere. Libellus hic sanè est exiguus, ne quid de temporis angustia, publicis aliisq; distractus curis, causari possis: quanquam salutis cura omnibus aliis esse debet antiquior. quid enim sunt cætera, quid hominum splendor atq; dignitas, quid opes, quid voluptates, si cum Regni cœlorum possessione cõferantur? quæ meritò Regum ille sapientissimus, propriis experimentis edoctus, summam esse dixit

vanitatem. Vt miserrima sit eorum conditio, quibus omne tempus in rerum istarum curis & cogitationibus transigitur. Tu verò animum revoca, & de tua salute, eaq; sempiterna, agi cogita. Nam nec salutem consequi licet sine ea quam Deus requirit vitæ sanctitate; nec vitæ sanctitatem colere, si vel quanta requiratur nescias, vel eam omninò requiri non existimes. Sed quicquid hîc tandem, diversis imbutus sententiis, statuendum esse tibi censueris, aut quamcunq; in partem consilium hoc meum interpretatus fueris, (vellem autem, ut & id quod optimum est censeas, & optimam in partem quod optimo à me factum est animo accipias,) mei certè in te maximi amoris, & fraternæ benevolentiæ, publicum hoc erit, etiã ad posteros, monumentum. Vale.

Edidit ante complures annos Socinus libellum, hoc argumento: Evangelicos in Polonia & Litvania vulgò dictos, quibus veræ pietatis studium sit cordi, debere sese eorum cœtibus adjungere, qui ibidem Arriani atque Ebionitæ immeritò vocantur. Quod ut Evangelicis istis persuadeat Socinus, primùm fundamenti cujusdam loco substernit: Ad regnum Dei possidendũ, necesse esse, nullo in peccato Evãgelicæ doctrinæ adverso manere. Hoc constituto, demonstrat secundo loco: In Evangelicorum istorum religione, quædam dogmata & sententias haberi, quæ vix ullo modo permittant, ut, qui eas sectatur, nullo in peccato maneat. Tertio loco, in eadẽ religione quædam concedi docet, quæ cum Christi præceptis pugnent. Quarto: Nõ paucos in eadem esse errores, qui facilè veram salutis æternæ viam obscurent & impediant. Quinto: Multos in ea esse alios circa doctrinam errores, qui facilè, quæ errorum est fæcunditas, graviores alios parere possint. Sexto deniq; loco, addit appendicem de disciplinæ Ecclesiasticæ inter Evangelicos defe-

ctu. Singula ista singulis absolvit capitibus Socinus. Ex quibus omnibus, non tantùm cõjunctis, sed etiam sigillatim consideratis, efficitur, Evãgelicos, qui veræ pietatis sint studiosi, nõ debere in ista permanere Ecclesia, in qua tot, & tanti, tamq; periculosi reperiantur errores atq; defectus: sed illi Ecclesiæ sese associare, quæ ab his omnibus malis ac periculis sit vacua. Libellus hic Socini, diu per multorum manus in publico volutatus, neminem invenit adversarium. Prodiit tandem Balthasar Meisnerus, religione Lutheranus, Theologiæ Doctor, & in Academia Vittebergensi Professor publicus, qui alienam causam fecit suam, se suosq; Evangelicorum nomine comprehensos existimans, ignarus hoc titulo non alios in Polonia & Litvania vulgò designari, quàm quos alibi vulgus, à Lutheranis distinguens, peculiari nomine, Calvinianos appellat. Is igitur libelli istius refutationem sibi desumsit, & quinque illius capitibus, sextoq; appendici, totidem & ipse capita opposuit: in quorum unoquoq; ea quæ Socinus aßeruit labefactare atq; evertere conatus est. Rem ita egit, ut homini nec in-

genium

genium & acumen, nec doctrina atq; eruditio defuerit, addo & modestiam, non illam quidem, quæ per se ipsam omni ex parte commẽdari mereatur, sed quam aliorum immodestia ac maledicentia commendet. Veritas sola defuit: quam ne speciosis quibusdam & captiosis objectionibus aut exceptionibus eluderet, suos verò stabiliret errores, visum est veritati ferre suppetias. Itaq; non tam Socini, quàm veritatis susceptâ causâ, de singulis istis capitibus disputationem cum Meisnero institui, eamq; illo adhuc vivente, aut saltem nullodum de obitu illius accepto nuncio, magna ex parte perfeci. quæ causa etiam est, cur plerumq; Meisnerum tanquam adhuc viventem oratione compellem: quod, cognita illius morte, mutare nolui, ut hoc ipsum indicio esset, non mihi morte demum ipsius crevisse animos, sed me, ne cum vivente quidem, certamen pro veritate detrectasse. Atq; utinam viveret Meisnerus, aut pleriq; eorum, qui adversari malunt veritati, quàm cedere, Meisnero saltem similes essent. Neq; enim ullos metuit Gigantes veritas. quæ quantò validiùs oppugnatur, tantò vincit gloriosiùs.

siùs.

ſius. Quanquam non idcircò decedere quidquam deberet diſputationi meæ, ſi vel maximè poſt Meiſneri obitum à me ſuſcepta fuiſſet, cùm & ipſe Meiſnerus, Socino jam pridem vitâ functo, libellum ejus aggreſſus ſit. Sed operis à me conſcripti editionem, multi alii morati ſunt labores, atq; etiamnum morantur. Quod antequam plenum ſuisq; partibus abſolutum in lucem prodeat, viſum eſt hanc primi capitis diſputationem in publicum emittere: quippe quæ contineat quæſtionem maximam atq; graviſſimam, totius iſtius operis tractationisq;, ut diximus, fundamentum. Nempe, num ad regnum Dei poſſidendum neceſſe ſit, nullo in peccato Evangelicæ doctrinæ adverſo manere? Nam ſi affirmari debeat quod quæritur, nõ difficile fuerit reliquum omne quod ſequitur evincere: ſi verò negari, fruſtra foret de cæteris inſtitutus labor. Iſtius præterea quæſtionis tanta vis eſt, ut utramcunq; in partem erraveris, ſalutis æternæ viam tenere vix poſſis. Nam ſi tantam vitæ ſanctitatem, errore inductus, omnino requiri non exiſtimes: quo pacto, ne ullo in peccato Chriſti diſciplinæ adverſo

maneas,

maneas, operam omnem dabis? Si verò tanta sanctitas ad salutis adeptionem non requiritur, sed ea aliis in rebus tota sita est, quo item pacto credere istud poteris, quin falsam pro vera salutis cōsequendæ rationē amplectaris, frustráq; non necessaria pietate temet fatiges? Accedit quòd hæc quæstio ita est comparata, ut homines mirum in modum hîc semetipsos ludant ac decipiant. Aliter enim sese de ea sentire credunt, quàm revera sentiunt. Nam cùm apertè negare non audeant, tanta sanctitate & à vitiis puritate ad regnum Dei possidendum opus esse, si penitiùs eorum sensum mentemq́; excutias, longè aliter statuunt. Tantóq; nocentior est hic error, quantò occultior. Meisnerus certè ita hunc locum disputat, ut non tantùm id, quod asserit Socinus, se concedere dicat: sed etiam longè majorem sanctitatis perfectionem requiri affirmet, Socinumq́; & exemplis, & dictis, & rationibus, & omni deniq; argumentorum apparatu urget, quod aliquid de tanto pietatis rigore remittat. At si quid in recessu lateat inspicias, deprehendes omnia illorum de pietate dicta splendida

atq; magnifica, eò tandem recidere, ut in peccatis vitiisq; manentibus, quamvis ante vitæ exitum deposita non fuerint, inductis in eorum locum virtutibus, dummodo morientes meritum Christi sibi applicent, peccatorumq; dolore tangantur, Regni cælorum jus & hæreditatem asserant. Hoc verò quid aliud est, quàm quod in speciem necessarium ad regni Dei adeptionem esse dixeras, reipsa non necessarium esse statuere? Alia ejusdem generis in hac disputatione dogmata non commemoro, quæ vera esse non possunt, quin ea sanctitatis, ne ullo in peccato maneamus, lege nos solvant: quale est cùm Christus nostri loco omnia vel præstitisse, vel dependisse statuitur: cùm fides, cui justificatio tribuenda sit in solidum, in meritorum illius aut satisfactionis applicatione, tota ponitur, atq; ita explicatur ut suâ naturâ nihil commune habeat cum vitæ sanctitate: cùm bonis operibus omnis justificandi vis adimitur, planeq; ex censu causarum salutis expunguntur. Itemqúe dogma de naturæ nostræ per Adami peccatum facta depravatione, quâ omne arbitrium ac vires repudiandi peccati, se-

ctan-

ctandæq́ virtutis tolluntur, & universa Christianorum pietas intra sanctè vivendi irritum plerumque & inefficacem conatum concluditur. Eódem tendit & illa quæ de Sacramentis traditur doctrina. Hæc, inquam, in ista disputatione prætermissa sunt, quamvis iis non mediocriter urgeri potuerit Adversarius; tum quòd peculiaris sit de illis instituta disputatio: tum quòd solius hîc pœnitentiæ meminerit Meisnerus, per quam Scripturæ dicta, vitiorum abdicationem omninò si salvi esse velimus, requirentia, limitanda, re ipsa verò enervanda esse censuit. Hunc igitur animi veternū, ut hominibus si fieri posit, quam primùm excuteremus, tractatum hunc, veluti partem à reliquo corpore avulsam decerptamq́, præmittendum censuimus. Neque verò id solùm ostendendum fuit, non posse à quoquam regnum Dei adiri, nisi deposito priùs omni vitio: sed ille etiam error patefaciendus, quo pietatis & officii nostri perfectio, ita intenditur, ut quivis, etiam minimi peccati actus, à regno Dei excludere censeatur. qui error eo periculosior est, quòd pietatis partes agere videatur, reipsa

autem

autem veluti per cuniculum eam ſubvertat. Nam cùm ad tantam perfectionem humana infirmitas aſſurgere non poſſit; fit ut homines, deſperato officio, nõ deſperata tamen ſalute, etiam neceſſarium eſſe non putent, quod fieri non poſſe vident. Quocirca ita nobis defendenda fuit pietas, ut & omnem peccandi licentiam procul arceret; & ad communem veluti uſum revocata, neminem à ſe, officii deſperatione, repelleret. Vtinam verò non fruſtra foret à nobis hic ſuſceptus labor, & ſi non omnes, (nam id quidem ſperandum non eſt,) aliquos ſaltem ad majorem ſanctitatis curam, ſine qua nemo videbit Dominum, excitaret.

DISPVTATIO

Quæstionis

Num ad Regnum Dei possidendum necesse sit, in nullo peccato Evangelicæ doctrinæ adverso manere?

S*Ocinus id affirmat, & Apostoli testimonio ex Epistola ad Gal: cap. 5. v. 19. confirmat, qui clarissimè edixit, eos omnes, qui opera carnis (quorum illic multa genera recenset) faciunt, Regnum Dei nō esse possessuros. Et ne quis duplici, eoq; contrario errore circa hæc Pauli verba labatur; uno, ut putet, eos demum qui omnia carnis opera faciunt, à regno cœlorum excludi: altero, ut putet, quemvis carnis actum, hanc excludēdi sub N. Fœdere vim habere; propterea alia ejusdem Apostoli ex 1. ad Cor. 6. 9. affert verba, cùm dicit:* An nescitis, quòd injusti regnum Dei nō possidebunt? Ne erretis, neq; fornicarii, neq; Idolis servientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces Regnum Dei possidebunt. *Ex quibus verbis patet; tum neminem possessurum esse regnū Dei, qui vel unū ex istis talibus fecerit; tum istud,* facere, *non omnem vitiosum actum, sed omnem vitiosum habitum denotare; quandoquidem Apostolus in his verbis, & singula vitia per se damnare asserit, & rursus, non singulos cujuslibet vitiorum istorum actus, sed habitus.*

 Etenim

Etenim non ſimpliciter injuſtitiæ, ebrietatis, &c. mentionem facit: ſed injuſtorum, ebrioſorum. Atqui injuſtus, vel ebrioſus non is eſt, qui aliquando injuſtum aliquid facit, aut inebriatur; ſed qui injuſtè facere, & inebriari conſvevit.

Ad hæc reſponſurus Meiſnerus, *Primò ait,* ſe facilè conſentire affirmanti Socino: *plura etiam teſtimonia ex S. L. congerit, quibus idem oſtenditur, quæ Socinus brevitatis causâ omittere ſe dixerat. Sed & in ipſo limine ſtatum quæſtionis mutavit: & in ſequentibus ita de ea diſſerit, ut appareat, eum, & à Socini ſententia, & ab iſtis S. L. dictis ac teſtimoniis longiſſimè abeſſe. Mutavit ſtatum quæſtionis, cùm pro eo, quod debuiſſet dicere, (ſiquidem cum Socino conſentit,)* omnino eſſe neceſſarium ad cœleſte regnum poſſidendum in nullo peccato divinæ voluntati adverſante manere; *ille dicit,* à peccatis divinæ voluntati adverſantibus pro virili abſtinere. *At non de eo nunc quæritur. Etſi enim is, qui verè pro virili à peccatis abſtinet, in nullo peccato manet: tamen id non omnes agnoſcunt, & ne vos quidem ipſi, qui Paulum ipſum jam renatum, licèt pro virili peccata vitantem, peccato tamen mancipatum fuiſſe, & non id, quod volebat, bonum, ſed, quod nolebat, malum factitaſſe, aſſerere non erubeſcitis. Quocirca hîc ſe ſtatim prodit Meiſ. oſtēditq; quid de hac quæſtione ſentiat: nempe omnem Chriſtiani hominis pietatem intra conatum in nullo peccato manēdi compingit;*

git; ut verò reipsa in nullo peccato maneat, necessarium, aut etiam possibile esse, haud ducit. Quo errore vix ullus perniciosior esse potest, & ob quem vel solum deserenda esset vestra Ecclesia, si alia suppetat quæ hoc errore tam gravi, aliisq; non minùs gravibus sit libera. Sed quis hîc sit Meisneri sensus, pleniùs in sequentibus cognoscemus. Nunc, ut instituimus, adversarium κατὰ πόδα persequamur.

Dicit, ἀδικίαν, vel iniquitatem, quam unum ex generalibus salutis nostræ impedimentis constituit, includere omnia peccata moralia, primæ & secundæ legis tabulæ contraria; inter quæ peccata refert Sabbati profanationem. Vnde patet, eum putare, præceptum hoc de observando Sabbato adhuc vigere; quod tamen antiquatum esse res ipsa docet; cùm nemo Christianorum Sabbatum observet. Nam si dicas, Christianos pro Sabbato sequentem observare diem. Ego vicissim dico, hinc patere, præceptum hoc abrogatum esse. quomodo enim pro Sabbato alium observare diem liceret? Num, vigente isto præcepto, licuisset Iudæis die Sabbati operari, dummodo alio aliquo die pro Sabbato feriarentur? Deinde quis Christianorum die Dominico ab omni prorsus opere abstinendum sibi ducit, quemadmodum Deus diem Sabbati sanctificare jusserat? Sed & Paulus apertè docet, in Christiana religione, ut ciborum, sic dierũ discrimina esse sublata. Rom. 14. Gal. 4. Coloss. 3. quod & ipsa Christianæ religionis natura docet, in qua nihil cerimo-

niale valet, ſed tantùm fides per charitatem efficax, aut nova creatura.

Taxat illa Socini verba, cùm nominatim peccatorum doctrinæ Evangelicæ adverſantium *meminit: quod ideò Socinus fecit, quia ſignificare voluit, non ſatis eſſe ad regnum cœlorum adipiſcendum, ſi quis à peccatis legi Moſaicæ tantùm adverſantibus ſit liber: ſed opus eſſe, ut etiam ab iis liber ſit, quæ doctrinæ Evangelicæ, legali multo exactiori, adverſantur. Hæc ſententia, quâ tamen nulla eſt vel verior, vel ſanctior, neſcio quid monſtri alere Meiſnero videtur, adeò ut dicat, Socinum in his verbis* venenum ſuum ſubdolè occultaſſe. *Ita vobis omnia monſtroſa & venenata videntur, quæcunq; de Chriſtianæ pietatis ſoliditate ac vera vitæ ſanctimonia dicuntur. Putat Meiſnerus,* Evangeliũ dupliciter accipi; vel generatim, vel ſpeciatim & propriè. Generatim acceptum, pro omni ſcilicet eo, quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, non contradiſtingvi legi morali, ſed eam unà includere: *& hoc ſenſu putat dici poſſe,* peccata Evangelicæ doctrinæ adverſari, rectiùs tamen ea Legi, quàm Evangelio adverſari dici: Speciatim autem ſumtum, ſolam concionem gratiæ per Chriſti meritum partæ, & omnibus fidelibus conferendæ complecti, & hoc modo à Lege diſtinctiſſimum eſſe. *Hæc verò Evangelii diſtinctio, vel contradictionem involvit, vel nihil ad rem facit. Si enim*

nim dicas, in concione gratiæ non neceßariò requiri ab hominibus, ut præceptis Dei obediant, ſed tantùm ut promiſſionibus gratiæ credant; quomodo deinde cum hac concione gratiæ, concionem de lege morali conjungis, & aßeris, Chriſtum & Apoſtolos legem moralem docuiße, ejus præcepta repetiiße, & confirmaße? Num enim Chriſtus & Apoſtoli ſimul docuerunt, & obſervanda eße Dei præcepta, & non obſervanda? & quod una manu adſtruxerunt, deſtruxerunt altera? an dicis tantùm causâ præcepta moralia à Chriſto & Apoſtolis propoſita fuiße affirmabis? Si verò dicas, te à concione gratiæ non excludere concionem de obſervandis Dei præceptis, ſed tantùm Evangelii vocem de ſola concione gratiæ propriè accipiendam eße, contendere: tum hæc diſtinctio nihil ad rem facit. quis enim neſcit, tum, cùm Evangelii vox ſolam concionem gratiæ de peccatorum remiſſione ſignificat, & ad præcepta non extenditur, illam peccatis non opponi? Socinus ergo, cùm peccata Evangelio adverſari dicit, vocem Evangelii ſic accipit, ut etiam præcepta, quæ Chriſtus propoſuit, includat. Sed dices, Socinum, dum ita loquitur, Evangeliū contradiſtingvere Legi ratione perfectionis præceptorum, ac ſi Chriſtus plura & perfectiora dediſſet præcepta moralia, quàm data fuerunt in Lege. *Rectè ſanè conjicis Meiſnere. Hæc planè eſt Socini mens, quemadmodum antea indicavimus. Rem autem ita ſe habere, docebimus illic, ubi ex profeßo ejus rei meminit*

meminit Socinus.

Queritur hîc Meiſnerus, diſcrimen legis & Evangelii confundi, doctrinam gratuitæ juſtificationis per fidem enervari, operum juſtitiam plenis velis invehi. *Quod ad prius attinet, tantùm abeſt, ut hac ratione diſcrimen Legis & Evangelii confundatur, ut potiùs multò majus inter ea diſcrimen conſtituatur: dum non ſolùm inter Legis in juſtificandis hominibus ſummam ſeveritatem, & Evangelii ſummam lenitatem; ſed etiam inter ipſa Legis & Evangelii præcepta diſcrimen conſtituitur. Nec per hanc præceptorum perfectionem enervatur gratuita per fidem juſtificatio: quandoquidem fides iſta, per quam juſtificamur, non id planè requirit, ne unquam ulla in re vel minima peccemus, ſed ne in peccatis maneamus. Ob quam cauſam etiam operum juſtitia non invehitur. Operum enim juſtitia id exigit, ne unquam peccemus, atq; ita nos geramus ut operum vi & merito, ſine ulla gratia & miſericordia divina, juſtificari poſſimus. quemadmodū docet Paulus Rom 4. v 4. & 11. v 6.*

Sed age examinemus aliquantò accuratiùs iſtam tuam diſtinctionem vocis Evangelii. Ais igitur, Evangelium ſpeciatim, &, *ut inferiùs loqueris,* propriè ſumtum, accipi pro ſola concione gratiæ per Christi meritum partæ, & omnibus fidelibus conferendæ. *Quæro, quomodo id intelligas? an quòd putes, Evangelium interdum nihil aliud ſignificare, quàm concionem gratiæ, ita ut*

non connotet adjunctam sibi concionem de servan-
dis praeceptis, sed potiùs ei opponatur? an quòd putes,
illud talem concionem gratiæ significare, in qua
non requiratur necessariò, ut Dei præcepta serve-
mus? Si illud, non facilè ullum talis significationis
exemplum afferes. Neq; enim nunc quid ipsa vox
per se sonet, sed quid in S. L. significet quærimus. At
nusquam vel Christus, vel Apostoli, de gratia divi-
na ita concionati sunt, quin simul docerent, ad quos
hæc gratia pertineat; quod & tu ipse agnoscere co-
actus es, qui non simpliciter concionis gratiæ memi-
neris, sed addas, omnibus fidelibus conferen-
dæ. Verè autem fidelem esse, universa Christianæ
pietatis officia complectitur. Hoc quidem facilè con-
ceditur, Evangelium præcipuè & potissimùm signi-
ficare nuntium illum lætum, de peccatorum remis-
sione & vita æterna: sed quia hic nuntius adjun-
ctam sibi habet conditionem pœnitentiæ, emenda-
tionis vitæ, regenerationis ac renovationis, propte-
rea hæc quoq; connotat. Rectè enim omninò in ver-
bis istis, quæ ex Formula Cõcordiæ citas, dictum est,
Doctrinæ istius cœlestis, quam Christus pro
posuit, præcipua esse capita, pœnitentiam &
peccatorum remissionem, Christumq; toti-
us doctrinæ suæ summam brevissimis his
comprehendisse verbis, cùm inquit: scri-
ptum est, & sic oportebat Christum pati, &
resurgere à mortu[illegible]
nomine eju[illegible]

peccatorum. *Locus autem, qui in Formula Concordiæ adducitur, ad probandum,* Evangelium *in ſua propriiſſima ſignificatione uſurpari non de concione pœnitentiæ, ſed tantùm de prædicatione clementiæ Dei, nempe cùm Mar. 1. dicitur,* pœnitentiam agite, & credite Evangelio; *illud non evincit. Per Evangelium enim ille lætus nuncius intelligitur, quo pœnitentibus, & vitam renovantibus remiſſio peccatorũ & vita æterna offertur.* Imò *cùm Evãgelio ideò credere debeant homines, ut perfectè pœnitentiam agant, & vitam novam inſtituant, apparet, in hoc læto nuncio de Regno Dei appropinquante, de peccatorum remiſſione, & vita æterna, ſemper includi conditionem agendæ pœnitentiæ, & vitæ innovandæ. quid? credere Evangelio, quemadmodum paulò poſt dicemus, omnem Chriſtianam pietatem complectitur. Vnde conſequitur, credere Evangelio, & pietatem Chriſtianam colere, ſua natura connexa copulataq́ eſſe. Hoc verò non fieret, ſi promiſſis de remiſſione peccatorum, & vita æterna, conditio piè vivendi indiſſolubili ſimiliter vinculo non adhæreret. Sed etiamſi tandem aliquando vox Evangelii ſolas promiſſiones divinas, mente & cogitatione abſtractas à concione conditioneq́ obediendi Deo & ejus præcepta ſervandi, ſignificaret, jam dictum eſt, Socinum, cùm peccata Evangelio adverſari dicit, vocem Evangelii ita ſumere, ut non ſolùm Ch[illegible] d[illegible]m de [illegible]omiſſis, ſed etiam de*

Iam

Iam verò si dicas, Evangelium speciatim propriéq; sumtum talem gratiæ concionem significare, in qua non requiratur necessariò, ut Dei præceptis obtemperemus; quod te omninò velle, & res ipsa indicat, (nam alioquin nihil ad rem locutus esses,) & verba tua manifestum faciunt: ais enim: Posteriori modo, *nempe cùm Evangelium speciatim & propriè sumitur,* Lex & Evangelium distinctissima sunt: quoniam illa de faciendo, hoc de credendo agit; illa præcepta urget terretq;; hoc promissiones gratiæ profert & solatur; illa dicit τȣ̃το ποιεῖ, sed hoc ait *μόνον πίστευε: Scire vellem Meisnere, cùm Dominus Iesus sanctissima illa planeq; Christiana præcepta Matth. 5. 6, 7, capitib: discipulis suis tradit, & tãdem cõcludens ait, Eum demum ingressurum in regnum cœlorum, qui Patris sui voluntatem faciat; & eum, qui hæc præcepta ejus audit & facit, comparat viro prudenti, qui domum suam construxit super petram; qui verò audit & non facit, similem dicit esse stulto, qui domum suam ædificavit super arenam, quæ veniente tempestate, fluctibus & ventis subruta concidit: cùm toties omnes iniquitatem operantes damnat; cùm oves ad dextram, hircos ad sinistram constituit; cùm unicuiq; secundùm opera ejus redditurum sese dicit; cùm item Apostolus ejus Paulus omnes, qui opera carnis faciunt, è regno cœlorum proscribit; cùm eos demum victuros, qui spiritu opera carnis mortificaverunt, asserit: cùm, inquam, hæc*

& talia Dominus Iesus, et Apostoli ejus docent, quam personam quæso sustinent? num Legem tum temporis urgent, an verò Evangelicam doctrinam proponunt? quando igitur illis credendum erit, qui nunc ab iis, qui vitam æternam adipisci velint, requirunt, ut Dei præceptis obediant: (In Christo Iesu, *inquit Paulus,* nihil valet, nisi observatio præceptorum Dei,) *nunc, si Meisnero credimus, non requirunt? Nuda tantùm fide & persuasione de gratia per Christi meritum parta, contenti sunt? An non pudet vos, Meisnere, talia aßerere, Christumq; & Apostolos tam perplexa, tam dißonantia, tam pugnantia docentes introducere? Hoc est, hoc venenum, Meisnere, quo nimiùm securas mentes perimitis, & quod tu in verbis istis occultasti. Quæsitus aliquando Dominus Iesus ab adolescente illo, quid sibi faciendum eßet, ut vitam æternam adipisceretur, quid respondit? Num quod Meisnerus vult,* Non est necesse ut quidquam facias, tantùm crede? *Nequaquam: sed præcepta legis eum servare jubet; quæ cùm sese servaße ab ineunte ætate dixißet, non cõtentus legis præceptis, addit præceptum planè Evangelicum, jubetq; ut vendat omnia quæ habeat, & pauperibus det, & se sequatur. Quod cùm facere noluißet, addit Christus:* Amen Amen dico vobis, quàm difficile est divitem ingredi in regnum cœlorum! *Si Meisnero credimus, nihil est facilius. Num dices, Christum non seriò rem egiße, sed adolescentem lusiße, nec illi Evangelicam, sed legalem*

lem æternæ vitæ consequendæ rationem monstrare voluisse? Apage rem adeò indignam à mundi Servatore, qui non venit, ut Legis rigorem & severitatem assereret, sed ut gratiam Evangelicam promulgaret. Ille'ne ad genua sibi accidenti, ac verum ad salutem iter, tanquam à bono magistro, exquirenti, quem etiam dilexisse dicitur, non veram, non Evangelicam, sed insuperabilem, sed legalem, imò plus quàm legalem viam monstraret? Vnum tibi deest, *inquit, ad id, opinor, ut vitam æternam adipisceretur. At quomodo deesse ad salutem consequendam id potuit, quod uti adesset, salutis adeptio minimè requirebat? Verum est Legem & Evangelium distinctissima esse, sed non eo modo, quo tu vis; ut Lex quidem obedientiam præceptorum ad salutem requirat, Evangelium autem nuda fide contentum sit: sed quòd Lex perfectam & omnibus numeris absolutam obedientiam requirat, Evangelium autem tali obedientia sit contentum, qualem certa fides & spes immortalitatis in unoquoque homine, licèt ante hac gravissimorum scelerum ac peccatorum reo, producere potest. Et quia Lex operum meritum urget, Evangelium autem obedientia fidei, ut sic dicam, contentum est, propterea hoc sensu rectè dicitur,* legem de faciendo, Evangelium de credendo agere; legem præcepta urgere, & terrere, Evangelium autem promissiones gratiæ proferre; legem dicere, hoc fac, Evangelium, tantùm crede: *non vero isto sensu, quo tu*

hæc

hæc verba accipis. Nec enim Evangelium nuda fide contentum eſt, ſed per charitatem efficaci, ſed viva, ſeu tali, quæ bonis operibus ſit animata, alioquin ad juſtificationem nihil profutura. Nec promiſſiones gratiæ profert, ac ſolatur, niſi eos, qui peccato mortui, Deo & juſtitiæ in poſterum vixerint: alioquin in eos, qui peccato ſerviunt hoc fulmen vibrat: An neſcitis, quòd cui vos præbetis ſervos in obedientiam, hujus ſervi eſtis, cui obeditis, ſive peccato in mortem, ſive obedientiæ in juſtitiam, *hoc eſt, juſtificationem? &*, ſi ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi verò ſpiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis. *Nam quod attinet ad iſta verba, Evãgelium dicere,* tantùm crede, *nempe ſi vis vitam æternam conſequi, (quod tamẽ hoc ſenſu nuſpiam dicitur,) eorũ non is debet eſſe ſenſus, quaſi nudus Evangelio adhibitus aſſenſus, à ſuis effectis diſtinctus, ſufficiat ad ſalutem conſequendam; ſed quòd nemo verè Evangelio aſſentiri & credere poſſit, quin continuò, ſi fidei iſtius vim naturamq́ʒ ſpectes, reliqua omnia ſequantur, quæ ab hominibus, ſi vitam æternam adipiſci velint, facienda requiruntur. Nihil enim impoſſibile credenti. & ideò Divus Ioannes fidem, quâ credimus, Ieſum eſſe Dei filium, victoriam mundi eſſe docet. Hoc ſenſu Paulus non dubitavit aſſerere, eum, qui credit, Ieſum à mortuis eſſe à Deo reſuſcitatũ, juſtificatum iri. Credi enim hoc ex animo nõ poteſt, quin etiam in Chriſtum ipſum credas, eiq́ʒ porrò, fidei iſtius*

dei istius ductum secutus, totis viribus obtemperes.

Solent vestri, cùm de fidei vi, quam in justificandis hominibus habeat, loquuntur, & eam omnibus bonis operibus opponunt, accumulare illa loca, in quibus homines propter fidem à Christo morbis variis liberati leguntur, ad quæ loca tu quoque omnino, hæc verba, Tantùm crede *proferens, oculum retulisse videris. Atqui primò, aliud est à morbis sanari, aliud ab æterna morte eripi, & vitâ sempiternâ donari, ideoq; non sequitur, si ad illud obtinendum sufficiebat,* credere tantùm, *etiam ad hoc posterius obtinendum idem sufficere. Deinde in istis omnibus non nuda fuit fides, quâ crediderunt Christum id posse præstare, sed cum suis effectis conjuncta, ut quòd ad eum venerint, ejus opem imploraverint, & si quid ad id quod volebant obtinendum præceperat, exequuti fuerint. Tertiò, hæc fides non fuit ista, quam vos justificantem esse creditis. Vobis enim justificans fides est, credere gratiæ per Christi meritum partæ, hoc est, credere, Christum pro peccatis nostris plenissimè Deo satisfecisse; de qua fide istis, qui à Christo sanationem à morbis petebant, ne in mentem quidem, saltem pro eo tempore, venire potuit: & satis apertè constat eos non aliam habuisse fidem, quàm quòd crediderint, Christum posse id præstare quod quærebant. In multis etiam locis non de propria eorum qui sanati sunt, sed de aliena agitur fide. Vestra verò ipsorum opinione non possunt homines aliena fide justificari, sed tan-*

tùm

tùm propria. Et sanè, si credere est Christi justitiam ac merita apprehendere, quibus vestiti ac tecti, justi coram Deo appareamus, non magis potest quispiam fide quam alter pro illo habet, justificari, quàm veste quam alter pro illo induit, tegi aut ornari. Si ergo in his locis non agitur de fide, quam vos justificantem esse dicitis, cur in iis patrocinium ullum causæ vestræ quæritis? Istud ergò tuum, Tantùm crede, *necesse est, Meisnere, ut ita dilates, ut præceptorum divinorum obedientiam tantam, quanta in Evangelio requiritur, includat: alioquin rem affirmabis, non solùm cum universo (ut videre potuisti) Evangelio, sed etiam secum pugnantem. Nam quæro ex te, quid ergo sit illud, quod* tantùm credere *debeamus, & quo credito protinus salutem simus consecuturi? Christi doctrina est opinor. Iam si Formulæ Concordiæ credis, dicet tibi, in iis ipsis verbis quæ hîc citas,* cœlestis doctrinæ Christi hanc esse summam, pœnitentiam agere in remissionem peccatorum. *Et sanè quid aliud Christus, quid Apostoli docuerunt quàm remittenda esse peccata, & vitam æternam dandam: quibus? pœnitentibus, vitam renovantibus, veterem hominem deponentibus, & induentibus novum,* qui secundùm Deum conditus est, in justitia & sanctitate veritatis. *Huic doctrinæ tantùm credere, etiamsi pœnitentiam non agas, peccata non relinquas, novum hominem non induas, an ad salutem sufficit? Imò verò si cõtingeret, hominem huic doctrinæ verè*

& ex

& ex animo credere, nec tamen renovari, & vitam emendare, ac secundùm Christi præcepta instituere, hæc fides hominem meritò damnaverit, quòd propter tanta promissa, quæ verissima esse credidit, peccatis valedicere noluerit. At dices, hujus fidei hanc esse vim, ut eam sequatur pœnitentia, & vitæ correctio. Hoc ipsum est, quòd volebam, Meisnere; & hinc fit, cur in Evangelio nihil magis requiratur, quàm ut illi credamus: non quòd hoc solum per se sufficiat, sed quòd reliqua, quæ in Evangelio requiruntur, vi sua secum trahat.

Id præterea ex te sciscitari libet, quònam præceptum de pœnitentia agenda referas? num illud planè Evangelicum esse dicas, an legale? Si planè Evangelicum esse dices, tum & teipsum, & Formulam Concordiæ refutabis: teipsum, quia jam præter fidem, etiam pœnitentiam & vitæ emendationem in Evangelio requiri dices: Formulam Concordiæ, quia expressè dicit, Evangelium in propriissima sua significatione usurpatum, non complecti concionem de pœnitentia, sed tantùm de Dei clementia. *Si legale esse dices, tum necesse est, ut simul dicas remissionem peccatorum in Evangelio concedi non requisitâ pœnitentiâ, quo nihil absurdius dici potest. quid? si pœnitentia ad Legem pertinet, etiam remissio peccatorum ad eam pertinebit. Semper enim præcepto Dei de pœnitentia, adhæret promissio de remissione. Vides Meisnere, in quæ absurda incidas. Hoc demum erit legem cum*

Evangelio confundere. Et sanè qui præceptum de pœnitentia agenda, præsertim omnium cujuscunque generis peccatorũ & scelerum, (de tali enim loquimur,) legale eſse putat, non Evangelicum, næ ille, quid sit lex & Evangelium, prorsus non intelligit. Hæc est, hæc illa gratia Evangelica, ille annus Jubili, quòd vera & matura pœnitentia omnia scelera

Act: 13. 38. *& peccata eluere coram Deo possimus, à quibus homines sub lege justificari non poterant. Lex pœnitentiam non curabat, sed perfectam obedientiam exigebat.* Si fecerit ea homo, vivet in eis, *(id est, eorum vi ac merito.)* Maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. *Hæc est illa atrox legis sententia, quam Evangelium inductâ pœnitentiâ & viva fide, penitus antiquavit.*

Illud adhuc tangere hîc quoque lubet, quòd dicis, Evangelium speciatim sumtum, significare concionem gratiæ per Christi meritum partæ. *At quando vel Christus, vel Apostoli, de gratia meritis alicujus parta concionati sunt? Concionati sunt de peccatorum remissione; sed quæ per vi-*

Luc: 1. 77. 78. Ephes: 1. 7. *scera misericordiæ Dei nobis contigerit, quæ ex divitiis gratiæ divinæ profluxerit, non verò meritis alicujus obtenta fuerit. Indignissimam Deo clementissimo & benignissimo contumeliam faciunt, eumqúe maxima laude & gloriâ spoliant, qui alicujus meritis & satisfactione factum putant, ut nobis omnia debita remitteret: quæ ne remittere quidem*

dem ac condonare potuit, ſi pro iis ſolutionem eamq́ plenam ab aliquo recepit. Sed hac de re alius erit diſſerendi locus. Multo ſanè rectiùs in Formula Cõcordiæ, in his, quæ citâſti, verbis, Evangelium iſtud ſpeciatim ſumtum definitur. Dicitur enim eſſe annunciatio clementiæ & gratiæ Dei Patris cœleſtis; *dicitur* eſſe prædicatio de clementia Dei. *At clementia & gratia, meritis, iisq́ plenis & perfectis nullum relinquit locum.*

Venit Meiſnerus ad ipſam quæſtionem, ſeu asſertionem Socini, nempe, ad poſſidendum regnũ Dei neceſſe eſſe in nullo peccato Evangelicæ doctrinæ adverſo manere; *& ait,* illam veram eſſe de peccatis mortalibus, & regnantibus, falſam autem de peccatis non regnantibus, ſeu venialibus. *Videamus, quid per iſtud peccatum mortale & non mortale, regnans & non regnans intelligat?* Peccatum, *inquit,* actuale, duplex eſt, mortale vel regnans, & veniale vel non regnans. Per illud intelligimus non tantùm habitus vitioſos, qui conſvetudine crebra contrahuntur, ſed ſimul omnes actus legi divinæ cõtrarios, qui ſcienter & volenter committantur, ideoq; fidem ſalvificam, & Dei gratiam excludant. Vnde dicuntur peccata mortalia, quia perſonam faciẽtem morti ſubjiciunt, & regnantia, quoniam caro tum regnat ſpiritumq; ſuperat. *Ex quibus verbis apparet, quemadmodum etiam ex iis, quæ inferiùs dicit,*

cit, Meiſnerum adhuc plus velle, quàm velit Socinus: nempe, ad poſſidendum regnum Dei non tantùm neceſſe eſſe, ne ullius peccati habitu infecti ſimus, quod Socinus verbis manere in peccato *exprimit; ſed etiam, ne vel unicum actum peccati ſcientes & volentes committamus. En quàm liberalis eſt Meiſnerus! Sed paulò pòſt videbimus, quàm ſibi conſentiat.* Nunc *illud tantùm dicimus, veriſſimum hoc eſſe quod Meiſnerus putat, ſi ſecundùm Legis rigorem loquamur; falſum autem, ſi loquamur ſecundùm Evangelicam gratiam, ſecundùm quam & Socinus loquitur, & nobis nunc loquendum eſt.* Nec *minùs falſum eſt, omnes actus peccati, ſcienter & volenter, eo ſenſu, quo hæc verba Meiſnerus accipit, commiſſos, fidem ſalvificam, & Dei gratiam excludere. Scienter enim & volenter ea omnia peccata committi Meiſnero dicuntur, quæcunque non per ignorãtiam inevitabilem, nec planè præter noſtram voluntatem fiunt; quemadmodum ipſe paulò pòſt loquitur.* Num *enim protinus fides ſalvifica ceſſat, ſi quis per eam plerumque id quod rectum eſt faciens, interdum aliquod delictum non per ignorantiam inevitabilem nec planè præter voluntatem committat? ut ſi quis habitu juſtitiæ temperantiæ manſuetudinis charitatis præditus, aliquid aliquando injuſtum, intemperans, manſuetudini & charitati adverſum faciat? quæ eſt iſta fides, quæ toties oritur & interit? præſertim apud vos, qui etiam ſanctos frequenter in ejuſmodi peccatorum actus incidere*

putatis.

putatis. p. 64. Num ergò toties, quoties peccant, perit in iis fides? quoties autem commiſſum peccatum dolent, toties renaſcitur? Iam ſi talia peccata, quæ habitus virtutum non tollunt, cum fide ſalvifica conſiſtere poſſunt, quomodo Dei gratiam excludent? Imò in eo ſita eſt hæc divina gratia & clementia, quòd Deus non ſolùm præteritorum ſcelerum ex animo pœnitentibus veniam concedat, ſed etiam, poſtquàm ad eum toto pectore ſunt converſi, & unicè dant operam, ne eum offendant unquam, intercurrentium lapſuum meminiſſe nolit. Nam labi humanum eſt, ſed in peccato perſeverare Diabolicum. Hinc etiam apparet, quàm immeritò ejuſmodi actus omnes mortalia peccata, & peccata regnãtia dicantur. Nec enim ejuſmodi actus omnes hominem, habita ratione gratiæ Evangelicæ, morti ſubjiciunt. Nam alioquin omnibus hominibus pereundum eſſet: & Apoſtolus eos demum morituros aſſerit, qui peccato ſerviunt. Rom: 6. 16. nec eos, qui injuſtum quid faciunt, ſed qui injuſti ſunt, à regni Dei poſſeſſione excludit. 1. Cor: 6. Nec tum, cùm quivis peccati actus committitur, caro regnare dicenda eſt: ſpiritum quidem tum ſuperat, ſed tamen non regnat. Non ſtatim regnat, qui aliquando levi pugna victor abit, ſed qui plerumque vincit, ac ſuperior eſt. poteſt inferior aliquando ſuperiorem vincere, ſed regnum ac dominatum in eum obtinere non poteſt.

Veniamus nunc ad peccatum, quod ille veniale ac non regnans *vocat*, quod in omnibus ſan-

ctis, quamdiu vivunt, manere & habitare *dicit. quod sanè peccatum miror cur non potiùs regnans vocetur, quàm solitarii quidam actus qui rarò committuntur. Qua de re paulò pòst. Per istud autem peccatum intelligere se dicit* motus præcipuè involuntarios, pravas suggestiones ac concupiscentias carnis, quæ cunctis, *inquit,* renatis adhærenr, quæ legi & doctrinæ Evangelii generatim sumtæ similiter adversantur. *Quæ peccata* vel per ignorantiam inevitabilem, vel præter volũtatem nostram fieri *affirmat. Video, Meisnere, te per istud* peccatum veniale, *intelligere* nõ peccatum. *quis enim unquam fando audivit, peccatum id eße, quod vel inevitabili prorsus ignorantia, vel præter omnem meam voluntatem committitur? Id vel ex ipsis Ethicis discere poteras, ad actiones & honestas & inhonestas requiri neceßariò* τὸ ἑκούσιον, *seu ut sponte fiant. Ita vos vobis peccata fingitis ubi nulla sunt, ut tantò licentiùs peccetis in aliis. Affectus & cupiditates nobis à natura, ac proinde ab ipso Deo, ad vitæ & corporis conservationem sunt inditæ; & per se non tantùm vitiosæ non sunt, sed bonæ sunt & utiles. Quid ergò mirum est, si me cupiditas ad voluptatem, ira ad vindictam excitet, metus à periculo avocet? Hæc ipsorum natura est, in hoc data sunt. Sed ratio, cui datum est honesta ab inhonestis discernere, divinasq; leges noße, affectus & cupiditates tumultuantes imperio regere; tum sectandæ voluptatis, tum fugiendi*

doloris

doloris modum, ex honestatis & divinæ voluntatis legibus, definire debet, & efficere, ne pluris vel dolorem vel voluptatem æstimemus quàm honestatem. Hoc si quis faciat, quicquid tandem recalcitrent affectus, non peccati sit reus, sed virtutis particeps, nec vituperium & pœnam, sed laudem præmiumq́ meretur. Stoicorum hoc dogma est, qui sapientem suum nullis affectibus concuti ac turbari voluerunt, qui omnes affectus vitiosos eße censuerunt: quæ sententia, utpotè non tantùm rectæ rationi, sed ipsi etiam naturæ contraria, jam dudum ab omnibus est explosa. Verùm an concupiscentia carnis, si consensus voluntatis absit, peccatum dici mereatur, alio loco dicendum erit.

Porrò has pravas suggestiones, & concupiscentias cunctis renatis perpetuò adhærere, & in iis habitare falsum est. Quid enim prohibet, quominus quispiam longa aßvetudine rectè faciendi, ita affectus & cupiditates domuerit, ut semper officium faciant, nec ampliùs, vel raro admodum adversus rationis imperium tumultuentur? quod tamen ad salutem prorsus eße neceßarium, ita ut si quis illud non aßequatur damnandus sit, non dicimus; sed tantùm, non esse id impoßibile, imò multis viris sanctis, & Christi spiritu regenitis id usu veniße, credibile est.

Nam quod infrà dicis, hoc peccatum à Paulo vocari ἁμαρτίαν τὴν οἰκοῦσαν peccatum inhabitans *Rom: 7. 17. ideò quòd in Sanctis habitet, licèt non regnet, multùm à vero abest: Cùm Paulus*

loquatur de peccato planè in homine regnante, cui homo sit mancipatus, sic ut non id, quod velit bonum, sed quod nolit malum, faciat: quodq́; peccatū excusserunt & exturbarunt illi qui in Christo Iesu non secundùm carnem, sed secundùm spiritum ambulant. Sed benè habet, quod hoc peccatum eſse veniale putetis, nec hominibus imputari: verùm causa quam addis, non magis hoc peccatum veniale eſse evincit, quàm illos actus, qui involuntarii non sunt, quos paulò antè in censum mortalium & regnantium peccatorum retulisti. Quia, *inquis,* displicentia cum ipso statim actu conjuncta, est quasi extemporalis pœnitentia, ut peccata illa non imputentur personæ, & hinc dicuntur venialia, non ratione suæ naturæ, quia sic omne peccatum meretur mortem, quippe quæ est stipendium peccati, Rom:6. v. ult. sed ratione personæ, quæ fidem in ipso actu retinet. *Cur igitur si quis, verbi causâ, inebrietur, scortetur, & varios actus externos vitiosos committat, qui certè scienter & volenter committuntur, non etiam propter tuam istam extemporalem pœnitentiam venialiter, ut sic dicam, sed mortaliter judicio tuo peccet?* Nam *non negabis, opinor, in multis locum habere illud,* Video meliora proboq́;, deteriora sequor. *At qui tales sunt, cum displicentia, ac proinde cum extemporali pœnitentia, & sic secundùm te fidem in ipso actu retinentes peccant. Aut ergò ista tua ratio, cur hoc peccatum sit veniale,*

non

non est sufficiens; aut omnia apud te peccata propter istam extemporalem pœnitentiam erunt venialia, quod posterius te statuere infrà apparebit. *Ais*, hoc peccatum ratione naturæ mereri mortem, quippe quæ sit stipendium peccati. *O miserum mortale genus, cui non irasci, non concupiscere, & ne minimo quidem affectu incitari, quamvis irrito, quamvis represso ac domito licet, quin continuò æternos ignium cruciatus mereatur! Mors quidem est stipendium peccati, at non istius imaginarii, à quo, ut tu putas, quamdiu vivimus, liberari non possumus, sed illius veri, à quo Christianos liberatos esse docet Apostolus. Ita enim ante hæc verba quæ tu citas,* stipendium peccati est mors; *proximè dixerat:* Nunc autem liberi facti à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem, finem autem vitam æternam. *Ex quibus verbis apparet, peccatum, cujus mors est stipendium, non esse innoxios & irritos affectus, à ratione ac voluntate domitos atque repressos; sed veteres illos mores & facta, quibus homines, antequam veram Christi notitiam adipiscantur, immersi sunt & mancipati. Neq; hoc stipendium persolvitur nisi illis, qui peccato militant & serviunt, quemadmodum ex superioribus perspicuum est. Reliqua, quæ hîc de prava concupiscentia & labe originali disserit, suo loco refutabuntur.*

Porrò Socino idem est peccatum in aliquo regnare, & peccatum in aliquo habitare: Meisnero

non est idem, qui labem originalem, & pravas concupiscentias habitare quidem in sanctis dicit, sed regnare negat. Primùm Socinus de vero & voluntario peccato loquitur, non de isto ficto & involuntario. Itaque meritò pro eodem sumit, peccatum in aliquo regnare, & peccatum in illo habitare. In quo enim, verbi causâ, injustitia intemperantia habitat, in eodem & regnat; & vice versa, in quo regnat, in eodem & habitat. Deinde miror, quomodo peccatum verum, quod quispiam cuperet excutere, possit in aliquo habitare, id est, perpetuò manere & existere, nec tamen in illo eo ipso regnare dici? An si homo perpetuò pravis concupiscentiis & affectibus agitatur, nec hoc jugo se exolvere potest, non meritò dicuntur pravæ cupiditates & affectus in eo regnare? idq; tantò iustiùs, si corpus etiam ac membra obnoxia sibi habeant, & per ea creberrimè id, quod volunt, exequantur; quod vos à sanctis vestris & renatis hominibus, nullo modo posse abesse quamdiu vivunt, non tantùm non diffiteri, sed etiam jactare soletis. Quomodo ergò pravæ cupiditates in iis non regnant, si eo modo quo dictum est, & vos ipsi agnoscitis, in iis habitant? An unus, verbi causâ, ebrietatis actus, in homine alioquin sobrio & temperante erit peccatum regnans: concupiscentiæ autem, (quas vos pro veris peccatis agnoscitis,) quæ sese intùs perpetuò, ut iidem vultis, extrà creberrimè exerunt, peccata regnantia dici non debebunt?

Adhuc vidimus, quàm acris sit pietatis propugnator

gnator Meisnerus, *qui non solùm necesse esse dicat, ad possidendum regnum Dei, in nullo habitu peccati hærere, sed etiam nullum actum vitiosum scienter & volenter committere: nunc videamus, quàm sibi porrò constet. Ait, dicta Apostoli ad Gal: 5. & 1. Cor: 6. quibus à regno cœlorum arcentur illi, qui opera carnis sive plura sive unum faciunt, quibusq́; Socinus suam assertionem probaverat, hæc inquam dicta* cum limitatione intelligenda esse, *ait, nempe* nisi quis pœnitentiam egerit. *Quam verò pœnitentiam intelligis Meisnere? Si talem vitæ emendationem, ut nō ampliùs in ullo peccato hæreat quispiā, sed justitiæ serviat, rectissimè censes, idq́; universa comprobat Scriptura. Sed ponamus hominem, divinæ veritatis notitiâ imbutum, professione Christianum, qui licèt satis superq́; temporis ad vitam ex Christi præscripto corrigendam habuerit, eousq́; tamen in peccatis manserit, & operibus carnis indulserit, ut ei non ampliùs tantùm temporis suppetat, ut vitam & mores emendare, ex iniusto, intemperante, iracundo, avaro, justus, temperans, mansvetus, beneficus, fieri possit, utpote cui moriendum jam sit, & ad tremendum Iudicis illius tribunal veniendum. quid huic homini, quicquid tandem lachrymarum profundat, & quamcunque in partem sese verset, vi* Novi *Fœd. futurum censes? Si dixeris, eum decreto Pauli damnandum esse, nulla tibi nobiscum lis erit. Iam si ita res est, ponamus alium Christianum hominem, qui sit justus, liberalis, tem-*

perans, mansvetus, omnibus denique virtutibus ornatus, interdum tamen, non quidem per meram malitiam, & ex contemptu divinæ Majestatis, (nam qui talis est, quomodo omnibus virtutibus ornatus esse potest?) sed ex humana quadam imbecillitate, quæ rectum perpetuò cursum servare vix potest, deliquerit, num talem hominem sub Novi Fœderis *gratia propter istos intercurrentes peccatorum actus, quos omnium virtutum habitus compensant, adde, quos etiam à se commissos esse vehementer doleat, eorumq; veniam apud* Deum *ex animo deprecetur, damnandum, & à regno cœlorum excludendum censes?* Non *puto te fore tam rigidum, &* Novi Fœ*deris adeò ignarum, (quod nos gratis ex fide non ex operibus justificandos esse docet,) ut hunc damnandum esse pronuncies. Hoc utrumque si dicis, Socino adstipularis: qui nec cum aliquo peccati habitu hominem servari, nec rursus propter quemlibet vitiosum actum damnari, Scriptura duce, asserit. Cur igitur in Socinum tantopere inveheris, quòd dicat, non quemlibet vitiosum actum hominem è regno cœlorum excludere?*

Verumenimverò longè alia tibi mens est. Sentis enim ac statuis, hominem in variis peccatis & operibus carnis, post acceptam divinæ veritatis notitiam, hærentem, injustum, avarum, iracundum, intemperantem, etiamsi ante mortem novus homo, justus, beneficus, mansvetus, temperans reipsâ factus non sit, dummodo moriens ex animo se talem fuisse

doleat,

doleat, & peccata ſua coram Deo defleat, meritum Chriſti ſibi per fidem firmam applicet, vi Novi Fœderis hæreditatem regni cœlorum aditurum eſſe. Vide, quò tandem rigidus pietatis propugnator evadas, qui paulò antè etiam actus omnes, non tantùm habitus vitioſos proſcripſiſti, & è regno cœlorũ excludere dixiſti: nunc habitibus peccatorum non tantùm actibus Regni cœlorum portas pandis. Non enim aliud ad ſalutem verè neceſſarium eſſe ſtatuis, quàm peccatorum dolore tangi, culpam deprecari, Chriſti meritis niti ac confidere. Hoc ſi adſit, quidquid cæterorum deſit, rem in tuto fore, regni cœlorum hæreditatem amitti non poſſe. Hæc eſt illa veſtra, Meiſnere, præclara pœnitentia, quâ actus pariter & habitus omnes peccatorum elui poſſe creditis. Quid ergo attinet in ſpeciem quidem omnia peccata, etiam minima, rigidè damnare, & quòd à regno Dei excludant asſerere, etiã ibi crimina fingere, ubi nulla ſunt, ſi cùm ad rem ventum eſt, ſolus animi dolor commiſſa peccata lugentis, & Chriſti meritorum fiducia ad ſalutem ſufficit? quid attinet in omnibus ferè concionibus, ut dicis, graviſſimas ad populum adhortationes à talibus delictis inſtituere, ſi omnia iſta delicta tam facili pœnitentiæ iſto antidoto tolli poſſunt? Profectò hic error veſter tantus eſt, ut vel propter eum ſolum ab Eccleſia veſtra quàm longiſſimè abeſſe multum expediat. Quis enim non mavult peccata à ſe commiſſa deflere, præſertim cùm videt jam ſibi ad judicium eſſe veniendum,

quàm

quàm à peccatis desistere? quis non mavult alienis niti meritis, quàm proprium laborem impendere? præsertim si illud magis etiam salutare sit, quàm istud, imò si illud solum salutare sit, hoc citiùs saluti noceat, quàm prosit?

Sentis ergo, cùm Scriptura docet, injustos, avaros, fures, scortatores, ebriosos regnum Dei non adepturos; eos qui secundùm carnem vivunt morituros; cùm docet Christianum, quisquis tandem sit, sine charitate, quæ omnes virtutes in se complexa est, nihil esse; sine sanctimonia neminem Deum visurum &c. hæc omnia cum hac limitatione intelligenda esse, nisi quis ex animo doleat, se injustum esse, charitate & sanctitate destitutum, & ad Christi meritum confugiat. *Præclaram sanè dictorum Apostolicorũ limitationem, quæ omnem earum & vim enervat, & veritatem abolet. Quid enim, putas, Apostolus his & similibus dictis vult efficere? nonne ut ab omni injustitia recedamus, charitate præditi simus, sanctè vivamus? At si hæc dicta talem admittunt limitationem, ut nihilominus illi, qui injusti sunt, charitate & sanctitate destituti sunt, regnum Dei adipisci, & Deum videre possint, nempe si habeant id, quod justitia, charitate, & reliquis virtutibus millies est facilius, quid dictis istis efficiet Paulus? aut quomodo verum erit id, quod dicit? An putas, Spiritum sanctum, hæc & talia innumeris in locis sacræ scripturæ dicendo, fucum hominibus facere voluisse, & cum illis in re*

tam

tam ſeria luſiße? Ne erretis, Deus non irridetur, *inquit Paulus,* quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. *& alibi:* hæc ſcitote intelligentes quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. *& alibi,* An neſcitis quòd iniqui regnum Dei non poſſidebunt? nolite errare, nemo vos ſeducat inanibus verbis. Cui, *inquit Petrus,* (*poſtquam illam auream virtutum catenam contexuißet,*) hæc non adſunt, cæcus eſt, & manu tentans, oblitus purgationis veterum ſuorũ delictorum. *etc. Seductorum eſt libertatem polliceri iis, qui peccato ſerviunt. Stipendium enim peccati, cui nimirũ quis ſervit ac militat eſt mors. Cur igitur Chriſtus anguſtam eſſe portam, & iter valde arduum eſſe dixit, quod ducit ad regnum cœlorum? An hæc eſt anguſta porta, veſtra iſta pœnitentia? quomodo latum voluptatis & peccatorum iter ducet ad interitum? Annon etiam, dummodo omnium ſcelerum ac peccatorum agmen claudat præclara iſta pœnitentia, ducet ad cœlum? Cur Chriſtus tanto cum certamine jubet nos per iſtam anguſtam portam perrumpere in cœlum, ſi ſine tanto conatu ac niſu, facili & expedita ratione licet ingredi? imò quomodo regnum Dei occludere poterit illis, qui dicturi ſunt,* Domine Domine aperi nobis? *qui enim ſunt iſti? certè non infideles, nec qui nullam Chriſti notitiam habuerunt; ſed illi, qui Chriſtum optimè habuerunt cognitum, qui eum Dominum*

Gal: 6. 7.
Eph: 5. 5.
1. Cor: 6. 9.
2. Pet: 1. 9.

minum suum vocarunt, imò quorum multi in ejus nomine & vaticinati sunt, & miracula fecerunt; illi deinde, qui se in regnum cœlorum intromitti, ac proinde sibi omnia peccata condonari petunt. cur ergò Christus tam inclementer eos rejicit? nosse se eos negat. Non novi vos, *inquit,* abscedite à me omnes operatores iniquitatis. *Nonne poterunt dicere, cur tam rigidè nobiscum agis Domine? annon meministi illius concionis tuæ, de gratia per tuum meritum parta? Sumus quidem operatores iniquitatis, sed peccâsse nos pœnitet, ad misericordiam tuam supplices confugimus, delictorum veniam petimus, meritis tuis confidimus. Num hac defensione audita mutabit Christus sententiam? Cur verò nos semper vult esse paratos? Cur eos qui parati non sunt, sed tum demum cùm sponsus venire nunciatur sese parant, stultis virginibus comparat? Annon satis superq; temporis est, (nisi fortè quis subita morte extingvatur, quod & rarum est, & non de talibus in ista similitudine Christus loquitur, habuerunt enim istæ virgines spatium emendi olei,) imminente morte, vel adventante Christo, peccata deflere, eorum pœnitentiâ duci, ad fidem, quâ vobis Christi merita applicatis, tanquam ad sacram anchoram confugere? Quid igitur attinet perpetuò vigilare, in excubiis esse, operamq; dare, ne nos imparatos offendat Christus? imò quomodo nos imparatos unquam offendere posset, si paratum esse nihil aliud est, quàm credere, Christum pro nobis plenissimè satisfecisse?*

Non

Non sic Petrus, qui adventum Domini terribilem describens, Quales, *inquit*, oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum illius diei Domini! *additq́ue*, Ideò charissimi hæc expectantes, satagite ut immaculati & irreprehensibiles ab ipso reperiamini in pace. *Cur non dixit, ut firma fide merita Christi apprehendatis? Docet Christus, se eos, qui operibus charitatis destituti sunt, nec se in membris suis variis officiis juverunt, igni sempiterno addicturum. Etiámne, si morientes pœnitentiam egerunt? factum infectum fieri voluerunt? Christi meritis confisi animam efflarunt? Nam si hoc veluti scuto, adversus Iudicis Christi sententiam, tueri sese poterunt, cur illud non opponunt? cur non hac potiùs, quàm alia exceptione utuntur? cur & ille obmutuit, qui veste nuptiali indutus non fuit? cur Christi justitiâ se tegi non aßeruit? quid? si vestis nuptialis nihil aliud est, quàm ista vestra pœnitentia, quàm meritorum Christi applicatio, quomodo eâ destitutus eße potuit? Nempe difficile est Deo & Christo judici verba dare, Meisnere, qui secundùm opera quemq́ue judicaturus est. Recedat ab injustitia omnis, qui nominat nomen Christi.*

Pœnitentia, Meisnere, quam Scriptura nobis tanquam unicum remedium proponit, per quod æternam damnationem, quam peccatis nostris commeriti sumus, effugere queamus, non in solo animi ob commißa peccata dolore, imò non in hoc propriè consistit:

conſiſtit: ſed eſt animi, præteritam vitam damnantis ac deteſtantis, in melius mutatio, eaq́ talis, quam totius vitæ ac morum emendatio ſequatur: quod ipſum Græcum μετανόιας vocabulum denotat, quod veluti poſteriorem, id eſt aliam, priori contrariam, nempe meliorem mentem ſignificat. Aliud enim propriè μεταμέλεια ſonat, aliud μετάνοια. Illa dolorem, qui poſt factum oriri ſolet, indicat; hæc aliam mentem, alium animum, aliud inſtitutum & conſilium notat. Quanquam ſi quis seriò, dummodo non ſerò, doleat ſe adhuc certum aliquod vitæ inſtitutum amplexum ac ſequutum eſſe, quod maximo ſibi damno ſore animadvertat, fieri non poteſt, quin illud in poſterum planè mutet, præſertim ſi certus ſit, ſe illo mutato damnũ hoc evaſurũ eſſe. Dolor ergo iſte, ſeu μεταμέλεια, eſt μετανόιας, ſeu pœnitentiæ cauſa & origo. Hinc Paulus Corinthios doluiſſe *ſcribit* ad pœnitentiam 2. *Cor.* 7. 9. *Ex quo etiam loco patet, aliud eſſe, ſi cum Scriptura loquamur, dolere, aliud pœnitere. quanquam ne dolori quidem ullus relinquitur locus, ſi peccatis indulgere liceat ſine ſalutis jactura. Nec verò ſola animi in melius mutatio ſufficit, ſi ſit inefficax; ſed ſequi eam debent fructus illâ digni, quẽadmodũ primus ille pœnitentiæ præco docuit. Si enim fructus abſunt, fucata eſt, falſa eſt, et, ſi vel maximè vera eſſet, quẽadmodum eſt inefficax ad vitæ morumq́ mutationem, ſic erit inefficax ad peccatorum remiſſionem. Hinc*

Petrus,

Petrus, Pœnitentiam agite, *inquit*, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra. *Converti autem (ad Deum nimirum) omnem pietatem & obedientiam Deo debitam includit. Et novum fœdus, quo nobis peccatorum remiſſio per Chriſti ſangvinem ſancita eſt, talem continet pœnitentiam, quæ eſt legum divinarum in mentes & corda noſtra inſcriptio. quâ nil aliud ſignificatur, quàm diligens & perpetua divinarum legum obſervatio. Quid ergo prodeſt, quòd doleas te in peccatis hæſiſſe, ſi nihilominus antiquum obtines, peccata non exuis, novos mores, novam vitam non induis? Imò quomodo verè & ex animo dolere potes, ſi exiſtimes, præteritos mores tibi æternam damnationem non allaturos, & quamvis eos non mutes, nihilominus poſſe te alia ratione ſalvari? Sed eſto, verè & ex animo doleas te peccaſſe, te, verbi causâ, injuſtum, avarum, ebrioſum, ſcortatorem, iracundum, invidum, &c. fuiſſe: quid prodeſt te dolere, ſi pœnitentiam non agis? hoc eſt, præteritos mores, tanquam noxios, non damnas, nõ deteſtaris, aut ſi deteſtaris, non tamẽ abjicis? Inſtat jam, inquies, vitæ meæ terminus, mores mutare & corrigere non ampliùs poſſum, ſed, ô* mihi præteritos, *etc. quàm ſtrenuè pugnarem in vitia? quanto ſtudio ſectarer virtutes? nunc ſatis eſt, quòd ita me vixiſſe ex animo doleam, culpam agnoſcam & deprecer, Chriſti meritum mihi applicem. Atqui, mi homo, pœnitentia ſera vix unquam vera. Toties jã antè te peccare doluiſti, toties te vitia de-*

 poſiturum

poſiturum pollicitus es, nec tamen promiſſis tuis unquam conſtitit fides. ſi evaſeris, ad ingenium redibis. Sed eſto, verè, & seriò te peccatorum tuorum pœniteat. At ſerò. quid tibi nunc polliceri potes? neque enim ſolo dolore Deus contentus eſt. Doluit olim & Eſaus, lachrymasq́; ubertim profudit, neq; tamen pœnitentiæ locum invenit, hoc eſt, quidquam fletu ejulatuq́; ſuo profecit. Vitam corrigere ampliùs non poſſum. Corrigēda ergò erat cùm poteras. Nunc primùm vivere incipis, cùm vivere deſinendum eſt? Nunc doles te peccaſſe, cùm ampliùs peccare non licet, cùm ad judicem eundum eſt, cùm tempus eſt non pœnitentiæ, ſed pœnæ? Tempore accepto exaudivi te, *inquit Deus,* & in die ſalutis auxiliatus ſum tibi. *Quis maleficus ob malefacta ſua non dolet, cùm à lictore rapitur ad ſupplicium? nunc primùm doles, cùm pœnam ante oculos cernis?* Cur divitias gratiæ Dei, & tolerantiæ, & longanimitatis antehac contempſiſti, ignarus benignitatem Dei te ad pœnitentiam ducere? ſed ſecundùm duritiem tuam, & impœnitens cor coacervaſti tibi iram in die iræ & revelationis judicii juſti Dei, qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus. *Qui locus etiam oſtendit, qualem pœnitentiam Deus ab hominibus requirat. An enim Deus longanimitate utitur, & pœnas longo tempore differt, ut homines ſe peccare doleant tantùm? annon ut peccata relinquant, & novam vitam inſtituant? an ſi doluiſſe ob peccata ſatis eſt,*

coacer-

coacervabit ſibi irã, in die iræ, is, qui à Deo multùm diuq́; expectatus peccatis valedicere noluit? plorabit, lachrymas fundet, meritum Christi complexabitur, & omnem Deo iram ac indignationem longâ patientiâ collectam illicò excutiet. an deniq; Deus ſecundùm opera unicuiq; redderet, ſi in peccatis usq; ad mortem perſeverantibus, dummodò id à ſe factum ex animo doleant, vitam æternam conferret? Verum quidem eſt, animi dolorem illum & contritionem, ac coram Deo abjectionem ſæpè hominibus profuiße, quatenus Deus propter eam pœnas ſuas temporales vel moderatus eſt, vel etiam diſtulit, ut in Achabo, Ninivitis, & aliis videmus: ſed ejus tanta vis non eſt, nec unquam fuit, niſi fortè extraordinaria quadam benignitate, ut hominem, Chriſti notitiâ illuſtratum, quiq́; tempus & occaſionem habuit peccata relinquendi, & in novitate vitæ ambulandi, nec tamen id fecit, ab æterna morte vindicare, & cœlo aßerere potuerit. Iam ergò vides Meiſnere, qualem pœnitentiam Scriptura intelligat, cùm pœnitentibus remiſſionem peccatorum pollicetur: nempe maturam, efficacem, fructibus bonorum operum fœcundam, novos mores inducentem. Talem pœnitentiam quicunq; agit, non eſt quod ſibi metuat, quæcunq́; tandem ejus anteacta vita fuerit. ſi enim in luce ambulamus, quemadmodum Deus eſt in luce, ſangvis Ieſu Chriſti filii Dei mundat nos ab omni peccato.

Nec aliam pœnitentiam egiße cenſendi ſunt illi,

illi, quorum exempla hîc commemoras, ut oſtendas, ſi quis etiam poſt contractos habitus peccatorum pœnitentiam agat, nihilominus remiſſionem peccatorum eſſe cōſecuturum. Nā & maturè ſe peccaſſe doluerunt, Deumq́; deprecati ſunt, & proculdubio efficaciter, hoc eſt, reliquo vitæ tempore ſanctè & inculpatè coram Deo vixerunt. De Davide quidem, de Paulo, de Apoſtolis omnibus nullum eſt dubium. de peccatrice illa Luc. 7.37. quam tu Mariam Magdalenam appellas, idem ſtatuere æquum eſt. ſi tamen poſt actam pœnitentiam iterum in peccatorum habitus prolapſa eſt, & in iis ad finem permanſit, juſtificatione excidit. Idem de prodigo filio, ſeu potiùs de peccatore, quem prodigus iſte repræſentat, cenſeri debet. Iſraëlitarum exemplū, quos Deus ex habitibus peccatorum vocavit ad pœnitentiam, ſimiliter oſtendit, qualem pœnitentiam Deus requirat, nempe non ſimplicem animi dolorem, & ob peccata luctum; ſed converſionem & pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus, *quemadmodum tu ipſe verba Prophetæ citas, & tum demum, inquit,* non erit vobis in ruinam iniquitas. *quæ pœnitentia adhuc meliùs exprimitur in poſtremo Ezech. cap. 33. verſu, à te citato loco. Sic enim Deus populum jubet alloqui, quemadmodum habet Caſtellionis interpretatio.* Si ego juſto vitam promiſero, & is ſuâ juſtitiâ fretus nequiter fecerit; is, nullius ejus juſtè factorum ratione habita, ob id, quòd nequiter fecerit, morietur. Rurſus ſi ego improbo

Ezech: 18. 31.

℣ 13. 14. &c.

probo mortem fuero minatus, & is à ſuo peccato ſe abſtinens, jus æquumq́; fecerit, pignus reddiderit, ereptum retulerit, vitalibus inſtitutis obediens, ſeq́; à nequiter agendo continens, is vivet, non morietur, nec ullum commiſſorum ab eo peccatorum ducetur ei, qui jus æquumq́; fecerit, vivet. *Talem ergò pœnitentiam quicunque egerit, dubitandum non eſt, quin peccatorum ſuorum veniam ſit conſequuturus. qualem pœnitentiam illi omnes, quos ſuperiùs nomināſti, egerunt; Iſraëlitæ autem agere potuerunt, & quia non egerunt, ideo illis poſtmodum nullus dolor, nullæ lachrymæ, nullæ preces ſupplicationesq́; profuerunt.*

Miror, quòd Latronis exemplum in medium non attuleris, qui in cruce jam pendens pœnitentiam egit, & tamen peccatorum remiſſionem, & Regnum cœleſte eſt adeptus. Qui certè latro, jam crucifixus, longè plures animas occidit, quàm olim cùm viveret, latrociniumq́; exerceret, corpora interfecerat; ſed ipſorum hominum propriâ culpâ, apud quos plùs valet Latronis exemplum, quàm univerſum Chriſti Evangelium. Neq; vident ſe latroni iſti, etiamſi maximè velint, ſimiles eſſe non poſſe. Nam primùm, Latro non antè Chriſtum agnovit, quàm in cruce jam pendens. Hæc prima ejus fuit pœnitentia, primus ad Chriſtum acceſſus, tum primùm Chriſto per fidem fuit inſitus. Illi autem multo antè mortem Chriſtiani fuerunt, & ſe in Chriſtum credere profeſſi

professi sunt, ac proinde vitam Christianis hominibus suaq; professione dignam, agere debuerunt. Latro, post fidem in Christum, nullum habuit spatium ad vitam corrigendam; quicquid in cruce potuit boni pendens agere egit. Manus & pedes habuit aut clavis affixos, aut catenis religatos, idcircò iis ad bonum aliquod opus uti non potuit: animum, & lingvam liberam habuit. Animo ergò Christum agnovit, in eum credidit; lingvâ, primò socium suum Christo convicíantem increpuit & graviter reprehendit, deinde Christum confeßus est, & ejus opem ac misericordiam imploravit. Illi post fidem in Christum satis superq; temporis habuerunt, ut per fidem

Rom: 8. 9. *& Christi spiritum, (quem qui nō habet ejus nō est,)*

Gal: 5. 24. *mundum vincerent, carnis opera mortificarent, imò ipsam carnem cum affectibus & concupiscentiis crucifigerent; quod quia non fecerunt, Christi non sunt, victores non sunt, ac proinde ad illam justitiæ coronam nullum jus & acceßum habent. Latro talem tantamq; habuit fidem, quanta nec in Apostolis ipsis fuit. Latro enim tùm credidit in Christum, cùm Apostolorum fides labascere inciperet. Latro Christum in cruce pendentem regnaturum agnovit & confeßus est. Latro nec Christi, nec suam mortem veritus, credit Christum sui memorem eße, id est, se in vitam revocare, & felicem ac beatum efficere poße. Quis hodie tantam fidem habere potest? Annon facilius est in eum credere, qui resurrexit, qui omnem potestatem in cœlo & in terra est adeptus,*

qui

qui in æternum vivit, & vitâ sempiternâ alios donare potest, quàm credere in eum, qui ab omnibus desertus est, ab omnibus subsannatur, infami supplicio afficitur, in cruce pendet, doloribus angitur, alienam invocat & implorat opem, expirat tandem & moritur? O admirandam fidem, &, ut eoram Deo benignissimo hominem justificet, dignissimam! Sed ut unicus tantùm est sol in mundo, sic plura hujus fidei inter homines dari non poßunt exempla. Cur igitur homines in tanta dissimilitudine similitudinem quærunt? Cur latronis exemplo se solantur, cùm fidem ejus habere aut imitari nullo modo possint? imò cum nullam habeant fidem? Latro Christum in cruce pendentem pro eo agnovit, qui regnaturus eßet, & quidem nõ solùm in vivos, sed etiam in mortuos. Isti Christum in dextris Dei collocatum pro Rege ac Domino verè non agnoscunt. Si enim agnoscerent, peccatis valedicerent, & voluntatem ejus strenuè exequerentur. Qui credit Iesum eße Christum, ex Deo natus est: qui autem ex Deo natus est, non peccat, nec peccare potest. qui credit Iesum eße Dei filium, vincit mundum. Num igitur isti, qui totâ vitâ verè non crediderunt, Iesum eße Christum seu Dei filium, in extrema demum vitæ tegula hærentes ex animo id credere cœperunt? Unde illis tam subita mutatio? num nova quædam hujus rei documenta & argumenta, antehac incognita, eorũ animis oborta sunt? annon potiùs omnium rerum desperatio eos ad hanc spem adigit? quæ,

ſi redirent vires & valetudo, unà cum morbo & mortis metu evaneſceret. Deſinant ergo tandem, ſi fieri poteſt, latronis exemplo ſeſe ſolari ii, qui mores illius in vita, ſi non in furtis ac latrociniis, ſaltem in multis aliis vitioſis actionibus imitati, fidem in morte imitari nullo pacto poſſunt.

Ais, hæc exempla, quæ attuliſti, eorum qui ex habitu deliquerunt, & nihilominus per pænitentiam veniam conſequuti ſunt, aut conſequi potuerunt, luculenter indicare, ſi maximè quis ex habitu deliquerit, nihilominus ipſum pœnitere, & veniam impetrare poſſe; & pœnitentiam poſt quodvis peccatum, ſive in habitu, ſive in actu conſideretur, nec eſſe impoſſibilem nec inutilem, excepto ſolo eo quod in ſpiritum ſanctum committitur. *Si per pœnitentiam intelligis vitæ emendationem ſecundùm Chriſti præcepta, fateor, illam nunquam eſſe inutilem & fruſtraneam; ſed ſemper poſſibilem eſſe nego. Poſſibilis autem aliquando non eſt, vel naturaliter, ut in hominibus morituris; vel ob Dei pœnam & indurationem, quam homines diuturna contumacia & propria induratione tandem incurrunt. quod olim accidit Iudæis, qui cùm ab initio credere nollent, juſto Dei judicio poſtmodum credere non potuerunt.* Excæcavit enim, *ut Eſaias dixit, & Ioannes ex eo citat,* oculos eorum & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.

Ioh: 12. 39. & ſeq.

Qui

Qui enim tales ſunt, cum his Deus juſto ſuo judicio, & quemadmodum ipſorum malitia & cotumacia dignum eſt, ſic agit, ut eos irretiat, ne pœnitentiam agere, & ad ſe converti ac proinde & ſalvari posſint. Quod tamen non ita intelligendum eſt, ac ſi Deus iſtius eorum peccati, &, ut ſic dicam, impœnitentiæ aut incredulitatis ſit author; ſic enim nō ipſi, ſed Deus in iis peccaret, quod lōgè abſit; ſed quòd eos partim in peccata ſuo ſcelere ruentes, pecculiari aliqua ratione non tantùm non revocet, ſed etiam gratiam ſuam & auxilium illis penitùs ſubtrahat, cauſas & occaſiones, quibus excitari ad pœnitentiam poßent, amoveat, & ex adverſo multa vel faciat, vel fieri permittat, quibus in ſua malitia & contumacia confirmari queant. Neq; hæc induratio Dei talis eße cenſenda eſt, ut prorſus ſit impoßibile, ſi quis maximam vim facere ſibi velit, ad Deum converti. Nam & Paulus pro indurato Iſraële, ut ſervetur, orare ſe dicit, & in eo totus erat, ut ſaltem aliquos ex illis, licèt jam induratis, ſervare poßet & ad pœnitentiam provocare; & illo ipſo tempore, quo quis ex induratione contumax adverſus Deum eſt, adhuc graviter peccat, ac ob id ipſum tanto graviorem pœnam meretur; & deniq;, etiam induratorum pœnitentiam Deus expectare ſolet. Non ergò Deus ſic homines indurat, ut ad eum converti nullo modo poßint, ſed difficilem tantùm & impeditum ad ſe acceßum illis, cùm merentur, facit, ut ſimul & puniat eos, & tamen virtuti eorum locum relinquat, ſi

Rom: 10. 1. cap. 11. 14. cap: 10. 22.

forte, tantas difficultates & impedimenta emoliti, ad Deum accesserint, & hoc veluti insigni facinore edito, priorem culpam & contumaciam eluerint. Quocirca ista impossibilitas pœnitentiæ, quam Deus facit, non de absoluta impossibilitate, sed tantùm de summa quadam difficultate, quam vix quisquam induratorum & reproborum superet, accipienda est. Quæ difficultas meritò impossibilitas vocatur. quàm enim semper difficile est homini Deo obedire? quid si accedat non obediendi & recalcitrandi consuetudo & habitus confirmatus, qui quodammodo abit in naturam? propter quem apud Ierem. cap. 13 dixit Deus, si mutare potest Æthiops pellem suam aut pardus maculas suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malum. *quid si Deus adhuc hominem istum non tantùm non adjuvet, sed etiam impediat, & planè, ut meretur, perditum eat? Quæ adhuc de impossibilitate pœnitentiæ ex Scriptura S. diximus, nec allata à Meisnero exempla, nec aliud ullum refutat.* Non *mirum enim est, istos quos Meisnerus commemorat pœnitentiam egisse, & vitam emendasse, aut id facere potuisse, cùm & maturè, & quidem ab ipso Deo, ad pœnitentiam vocati, aut saltem instigati fuerint. Ex adverso autem plurima sunt exempla eorum, qui quòd à Deo rejecti, reprobati & indurati propter suam malitiam & contumaciam essent, pœnitentiam agere, ad Deum converti, & vitam ex ejus præscripto emendare non potuerunt.*

Iam

Iam verò si per pœnitentiam intelligas, vestro more, dolorem tantum & tristitiam animi ex peccatis ortam, preces & lachrymas, quibus venia petatur à Deo: hanc quidem pœnitentiam, etiamsi semper possibilem eße faterer, semper tamen utilem ac minimè frustraneam eße nego. Neq; hæc tua exempla contrarium evincunt, quippe in quibus de ea, & quidem sola, hoc est, ab emendatione vitæ sejuncta, non agitur. Innumera verò sunt istius rei, quam dicimus, exempla. Solum Israëlitarum in deserto exemplum, non tantùm, quòd adversus Deum rebelles fuerant, ex animo dolentium; sed etiam obedire ipsi volentium, & in terram promißam, quod antea facere detrectaverant, jam euntium, & tamen nihil apud Deum proficientium, clarissimum est hujus rei documentum. Iam enim Deus, incredibili eorum malitiâ & contumaciâ irritatus, & ad iram provocatus, juraverat, eos in terram promissam non ingreßuros. Itaq; etiamsi vel sangvineum rorem ex oculis stillaßent, Deum ad misericordiam & revocationem juramenti non flexißent. Et juramentum eventus sequutus est. Omnium enim cadavera, Iosua & Calebo qui Deo crediderant exceptis, ceciderunt in deserto. Hoc exemplum, quia & nobis, ut eorum malo edocti sapiamus, nec corda nostra adversus Dei vocem, ut illi fecerant, induremus, ob oculos ponitur; hinc apparet, etiam Christiano populo duro & contumaci idem eße metuendum. Aliud hujusce rei illustre exemplum proponitur in eadem

Heb: 3. & 4.

dem ad Hebræos Epistola cap. 12,16, cùm inquit Autor: Ne quis sit scortator, aut profanus, ut Esau, qui pro una esca vendidit primitiva sua. quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, nec invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquisisset eam. *En vides, Esaum ejulatu & lachrymis Isaacum patrem flectere non potuiße, ut revocaret datam Iacobo benedictionem. Hoc autem exemplum quorsum proponitur? Nempe ut sciamus, si in peccatis manserimus, & voluptates carnales prætulerimus isti felicitati ad quam vocati sumus, & cujus jure quodam ac privilegio gaudemus, (quod omnes illi faciunt, qui eam tanti non æstimant, ut ejus causa peccatis valedicant,) reprobatum nos iri à Deo, nec ullis fletibus ac lachrymis Deum flexuros eße, ut quam peccatis nostris decoximus, quâq; nos indignos reddidimus, nobis conferat benedictionem.*
1.Reg:15. *Quid profuit Saulo, cùm Amalechitarum Regi, & pingviori pecori contra Dei mandatum pepercisset, peccâße se agnoscenti, veniam anxiè oranti, Deum adoranti, licèt & Samuelem ipsum aßiduum pro se haberet deprecatorem? Annon à Deo rejectus & repudiatus fuit? quid? ne homines quidem justi ac Dei timentes semper amoliri à se poßunt istâ pœnitentiâ pœnam, quam peccato aliquo suo sunt commeriti. David pro filio, cujus mors in pœ-*
2.Reg:12, 16. 17. *nam adulterii ab ipso commißi à Deo decreta fuerat, quanto studio orat? quanta contentione deprecatur*

catur hanc pœnam? Iejunavit, humiq́ʒ stratus tota nocte cubuit, cumq́ʒ eum domestici Senatores à terra attollere conarentur, renuit, neqʒ cum eis cibum sumsit: & tamen moritur puer, nec quicquam Davidi profuit hæc corporis pariter & animi coram Deo abjectio. Ipse Moses flectere Deum non potuit, ut sibi peccati veniam daret, & terræ illius promissæ aditu sese non prohiberet: quin imò succensens illi Deus non modò ipsum non exaudivit, sed etiam vetuit, sibi ampliùs ea de re verbum facere. Quodsi viri Deo tam conjuncti, non semper pœnam deprecari, licèt quàm maximè conentur, poßunt, quid de iis, qui variis peccatis polluti sunt, statuendum est? Num istorum preces & lachrymæ efficaciores erunt, ad sempiternam salutem impetrandam, quàm justorum Deoq́ʒ alioquin charißimorum hominum, ad bonum aliquod caducum, quo sese peccato suo indignos reddiderunt, obtinendum? Quis non videt id, quod ille cæcus natus vidit, & quo Christum peccatorem non eße rectè evincit, nempe Deum peccatores non audire, sed eos qui ipsum metuunt, & voluntatem ejus faciunt? *Sic Elin apud Iobum:* Nequitiam non exaudit Deus, nec aspicit omnipotens. *Quoties Deus contumaci ac improbo populo minatur, se eum clamantem ad se, & sibi supplicantem, suorumq́ʒ peccatorum veniam orantem, non exauditurum?* Vobis, *inquit apud Esaiam,* manus pandentibus oculos meos subtraho: ac quamvis multas faciatis precationes,

Deut: 3. 25.

Iob: 35. 13.

Esai: 1. 15.

ones, non audio, qvum sint vestrę manus plenæ sangvine. lavamini, mundamini, *&c. &c.* *& alibi*: Vestra crimina vos à Deo vestro disjungunt, peccataq; vestra vobis vultum ejus subtrahunt, quominùs exaudiat. *& apud Jeremiam*: Ne precare, *inquit*, pro hominum istorum utilitate, quorum ego jejunantium orationem non exaudio, neque victimis & ferto faciẽtes mihi placent, quin eos armis, peste fameq́; conficiam. *Similiter apud Ezechielem*: Ego vicissim iracũdè agam, nihil mihi temperans nihilq; parcens, nec eos mihi in aurẽ ingẽti voce clamantes exaudiam. *& cap: 24. 13. 14.* Flagitiosa est tua impuritas, quæ purgante me nõ purgata sit ab ista impuritate nõ antè purgãda, quã ego in te meam bilem sedavero. Ego Iova & vẽtura dixi & faciam, nõ cessabo, neq; parcam, aut me pœnitebit, quominus pro moribus, studiisq́; tuis puniare, inquit Dominus Iova. Erit, *inquit Michæas*, cùm Iovam invocabunt, nec eos exaudiet, sed eis vultum suum subducet illo tempore, quamdiu ipsi pravis moribus fuerint. *apud Zachariam verò*: Renuerunt attendere, & humeros detrectantes præbuerunt, & aures suas, ne audirent, obfirmaverunt, & corda sua præstiterunt adamantina, ne legem audirent. *etc.* Itaq; queẽadmodũ ipsi clamantem non audiverunt, sic ego clamantes non exaudiam, inquit omnipotens Iova.

Jerem: capite 11. 11. 14. & 14. 11, 12.

Ezech: 3. 4

Mich: 3. 4.

Zach: 7. 13.

va. *Ezd.4.c.1.insignis præter alios est locus.* Quoniam, *inquit Deus,* vos me reliquistis, & ego vos relinquam, petentibus vobis à me misericordiam non miserebor, nec invocantes exaudiam, qui manus vestras sangvine maculetis. *& paulò pòst:* Repellam vos ex meo conspectu, munus cùm mihi afferetis, avertam à vobis vultum. *Hinc igitur perspicere potes Meisnere, non semper hanc pœnitentiam prodeße. Quodsi aliquando prodest, id plerumque futuræ emendationis & correctionis spe evenit, quæ si non sequatur, gravior tandem consequitur pœna. Nam quantò magis Deus peccatoribus parcit, & quantò se exorabiliorem iis præbet, tantò deinde, si sua expectatione frustretur, & vitam ab iis non emendari, suaq; clementiâ eos abuti videat, severiùs & inclementiùs eos tractat. adeò ut Moses hoc de Deo effatum reliquerit:* Quemadmodum, *inquit,* lætatus fuerit Iova vobis & beneficiis & numero augendis, ita è diverso lætabitur perdendis atque evertendis. *Vnde videmus Deum non semper nolle peccatoris etiam flentis atq; dolentis mortem, nec ab ea semper abhorrere. Eße aliquando tempus, quo eam velit & appetat, nempe cùm peccator converti ad Deum, & à peccatis suis recedere noluit. Non semper est, ut antè diximus, tempus gratiæ, est etiam tempus severitatis & pœnæ. Quod quiquis expectat, pro clementia supplicium inveniet. Quod omnes illi faciunt, qui in extremo demum vitæ, peccatorum*

[Margin notes: ℣ 28. — ℣ 30. 31. — Deut: 28. 63.]

rum ſuorum, in quibus ad illud uſque tempus hæſerunt, pœnitentiam agere volunt. Hinc ergo jam tandem vides Meiſnere, quomodo illa Apoſtoli dicta, neminem injuſtum, ſcortatorem, aut aliud aliquod opus carnis facientem, regnum Dei adepturum, intelligenda ſint. Nempe ea, ſi ſumantur in ſenſu conjuncto (ut ſcholaſticorum terminis utamur) nullam admittere limitationem: ſi verò in ſenſu disjuncto, ea cum tali limitatione eſſe intelligenda, niſi animum & mores mutaverit, ex injuſto juſtus evaſerit, & pro operibus carnis, fructus ſpiritus tulerit, qui ſunt, *ut ibidem habet Apoſtolus,* charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, *ſeu* beneficentia, fides, manſuetudo, continentia. Contra talia enim Lex non eſt.

Veniamus tandem ad id, quod ultimo loco in Socino reprehendit Meiſnerus, nempe quòd inter habitus, & inter ſimplices actus peccatorum illud diſcrimen conſtituat, ut habitus quidem omnes hominem à regno cœlorum excludant, actus autem non omnes. Nec enim Socinus unquam dixit, habitus tantùm peccatorum è regno cœlorum excludere, *ut putavit Meiſnerus; ſed id, quod nos diximus, nempe omnem vitioſum habitum è regno cœlorum excludere, non omnem actum: quod verba ejus, quæ ipſe Meiſnerus citat, inſpicienti cuilibet patebit. Sic enim ait:* quanquam homini Chriſtiano omnis vitioſus actus, Chriſti præceptis repu-

repugnans, ſummo conatu ac diligentia eſt cavendus ac vitandus: tamen non quilibet ejusmodi actus, ſed habitus vitioſus, vitioſavé conſuetudo, (*nempe quælibet,*) quæ Evangelicæ Filii Dei doctrinæ adverſatur, hominem cœlorum regno excludit. *Quid iſtis verbis eſt clarius? nonne cùm dicit Socinus*, non quemlibet *vitioſum actum Chriſti præceptis repugnantem Regno cœlorum excludere, tacitè concedit, eſſe quosdam, qui excludant? num poſt illa verba*, ſed habitus vitioſus, vitioſavè conſuetudo, *addidit particulam* ſolùm *vel* tantùm, *quemadmodum facit Meiſnerus? annon manifeſtè hæc verba ad pronomen* quilibet *(quod nos in parentheſi, ut ſententia eſſet planior, inſeruimus,) referuntur?* Noverat *Socinus, eſſe quosdam actus adeò enormes, ut multorum peccatorum habitus æquent, quorundam & ſuperent, & qui ab homine vero Dei timore prædito, ac id unicè operam dante, ne ullo peccati actu Deum offendat, (quod ad ſalutem unicuiq; eſſe neceſſarium iſtis, quæ modò citavimus, verbis docuit Socinus,) committi nequeunt. Itaque iſti actus, non minus, quàm habitus peccatorum, hominem è regno cœlorum proſcribunt, nempe niſi quis vitam ſic emendet, ut quemadmodum ab omni vitioſo habitu, ſic etiam ab omni ejusmodi actu quàm longiſſimè in poſterum abſit, Deumq; aſſiduè deprecetur, & veniam oret. Sed Meiſnerus hoc nequaquam*

quaquam contentus, magno molimine demonstrare conatur, omnem actum vitiosum, dummodo involuntarius planè non sit, hominem è regno cœlorum excludere; nostram verò sententiam gravissimum errorem, Scripturæ è diametro contrariantem, *in fine etiam capitis*, absurdam & impiam *vocat.*

Iam antè monuimus, Meisnerum, & qui Theo*logiam istorum sequuntur, in speciem rigidos esse pietatis propugnatores, reipsâ tamen nihil minus, quàm hoc agere.* Nec *ulla alia istius fucati rigoris est caussa, quàm quòd non multùm in eo ad salutem situm esse putent, sive quis verâ vitæ sanctitate sit præditus, sive minùs. Itaq; de pietate sic loquuntur, tanquam si in alieno foro res ageretur. Strenuè pietatem extollunt, etiam minimos actus peccati damnare docent, dummodo sibi sine salutis discrimine liceat non tantùm actus vitiosos committere, sed etiam in habitibus hærere. Probitas laudatur & alget. Revocate tantùm ad usum pietatem, & mox nobiscum sentietis. Facilè est dicere, nō solùm quemvis vitiosum habitum, sed etiam quemlibet actum vitiosum à regno cœlorum excludere, si istud vestrum adeò parabile pœnitentiæ antidotum semper sit ad manum, quo efficiatur, ne mortiferum peccati virus ullas in homine vires habeat. Sed antequam Meisnero respondeamus, illud primùm monere volumus, nos eodem modo voces istas,* scienter *&* volenter, *sumere, quo Meisnerus, nempe ut illis significetur.*

ficetur actus, qui non sit prorsus involuntarius. Nam *alioquin per istas voces significari etiam solent actus vitiosi* κατ' ἐξοχὴν *sic dicti, qui elato brachio, ut Scriptura loquitur, & ex mera malitia committuntur: quos intelligit David, cùm errores quidem & lapsus remitti sibi à Deo postulat,* à superbiis Psal: 19, 13. 14.
autem, *inquit,* prohibe servum tuum, ne dominentur mihi, tunc perfectus ero, & mundus ero, à prævaricatione maligna. *Et tales actus, etiamsi non ex habitu proficiscantur, sed semel tantùm committantur, ultrò concedimus, quemadmodum jam antè indicavimus, è regno cœlorum hominem excludere. Concedimus autem seriò & bona fide, non in speciem tantùm, ut Meisnerus. Neq; enim nunc de eo agitur, quid actus peccati, seclusâ Dei gratiâ, per se possint, & qualem vim per se habeant. Ita enim agnoscimus, omnem actum vitiosum hominem damnare & regno cœlorum meritò privare: sed de eo nunc agimus, an Dei gratiâ, qualis nobis sub novo Fœdere contigit, positâ & concessâ, omnis ejusmodi actus reipsa ac necessariò hominem damnet, & è regno cœlorum excludat. Hoc sensu Meisnerus nullum non tantùm actum, licèt sit gravissimus, sed ne habitum quidem eam vim habere putat: quippe qui sentiat, omnes ejusmodi actus & habitus, licet quis ab iis penitus non abscedat, pœnitentiâ, id est, solo animi dolore, & coram Deo contritione, & ad Christi meritum perfugio posse deleri, eorumq; omnem reatum tolli. Nos verò gratiam*

divinam, nobis ſub Novo *Fœdere oblatam ac conceſſam, eò pertingere non putamus, ut ſine certa ſalutis jactura poſſit aliquis in ullo peccati habitu ad mortem manere, aut actus ejusmodi committere, qui verum Dei timorem, & nunquam peccandi ac Deum offendendi perpetuum ſtudium atq; conatum excludunt: ſed tantùm præterita omnia peccata, quantacunq; fuerint, in iis qui vitia depoſuerint, novosq; mores induerint, & leviores quosdam lapſus, ex humana quadam imbecillitate, aut incogitantiâ profectos, iſtâ gratiâ divinâ tolli ac condonari cenſemus. Iam quisq; judicet, utri noſtrum magis peccata arceant, aut etiam majorem peccandi licentiam inducant. An illi, qui humanæ tantùm fragilitati, ne ad deſperationem homines adigantur, conſultum eunt; an qui etiam malitiam & improbitatem abſolvunt? an illi, qui inter habitus, & quosdam actus diſcrimen conſtituunt, & illos quidem omnes, hos autem non omnes damnare dicunt; an qui nullum inter ea diſcrimen faciunt, ſed vel ex æquo damnare, vel, ſi modo peccaße ſe quis agnoſcat & doleat, ex æquo ſaluti non obeße ſtatuunt?*

Porrò ſi ſententia Meiſneri, quâ ſtatuit pœnitentiâ illâ quorumlibet non tantùm actuum, ſed etiam habituum vitioſorum reatum penitus auferri, conciliari poteſt cum eo, quod ille hîc probandum ſuſcepit, nempe omnem peccati cujusvis actum, è regno cœlorum excludere, multò magis ſententia noſtra, quâ ſtatuimus, non tantùm iſtâ pœnitentiâ, qualem

intelli-

intelligit Meiſnerus, ſed etiam vera fide, veraq́ vitæ innocentia & integritate, leviores quosdam & rariores actus, ex infirmitate humana profectos, per Dei gratiam, Novo Fœdere nobis pactam, deleri, cum iſta ipſius aſſertione conciliari poterit; ac proinde qua ille conciliatione utetur, eadem et nos uti poterimus. Et ſic nihil adverſum nos tanto conatu ac molimine effectum erit. Dicet, iſtam ſuam aſſertionem cum limitatione intelligendam eſſe, niſi quis agat pœnitentiam? *Et nos, cùm negamus quemlibet actum vitioſum hominem è regno cœlorum excludere, propter pœnitentiam iſtam id fieri ex Dei gratia dicimus, nec propter pœnitentiam tantùm, ſed & propter fidem in Chriſtum, & vitæ integritatem ac juſtitiam. Num ergo pœnitentia iſta plùs valebit in habitibus, & graviſſimis actibus, quàm in actibus levioribus & raris: num ſola pœnitentia plus valebit, quàm cum fide & juſtitia conjuncta? Nec enim eſt, quod cum ejusmodi actibus, qui non ex habitu, nec ex malitia, ſed ex humana imbecillitate proficiſcuntur, fidem in Chriſtū nō poſſe conſiſtere, tibi perſuadeas, quemadmodū jam antè oſtendimus. Sanè cum iſta fide, quam vos fidem in Chriſtum eſſe putatis, optimè illis convenire poteſt; nec iſtis tantùm, ſed & omnibus vitioſis tum actibus, tum habitibus. Quid enim impedit, quominus injuſtus, avarus, ebrioſus, ſcortator firmiſſimè credat, Chriſtum pro ſuis omnibus peccatis pleniſſimè ſatisfeciſſe? imò ideò talis ſit, quòd iſtud credat? ſed etiam cum ea,*

quæ verè fides in Christum est, poßunt consistere leviores isti actus. Quid enim prohibet, quominùs quis ex animo Christo confidat, ejus promissis firmissimè credat, & eorum amore ac desiderio toto pectore pietatem sectetur, omnes vitiosos actus solicitè caveat, & tamen interdum vel errore quodam, vel imbecillitate humana peccet, & quidpiam Christi præceptis contrarium committat, sive opere, sive sermone, sive cogitatione. Imò quis unquam fuit ex omnibus sanctissimis, & Deo fidissimis viris, unico Christo excepto, qui non aliquando lapsus fuerit? Cum justitia autem & integritate vitæ poße ejusmodi actus consistere, nemo, opinor, negaverit. Cùm justum eße vel injustum ex habitu & consuetudine justarum vel injustarum actionum æstimetur. Quot celebrantur viri justi in Sacris Literis, de quibusdã etiam dicitur, quòd inculpati coram Deo fuerint, ut de Davide, qui dicitur Deo obsecutus à nullo ejus præcepto per omnem vitam receßiße, præterquàm in Vriæ Hettæi facinore, & tamẽ proculdubio etiam ipse David non semel actum aliquem divinis legibus
Psal: 19. *contrarium commisit. Vnde ipse toties suarum ini-*
13. & 38, 5, *quitatum & errorum meminit, Deumq; precatur,*
19. & 39, 9. *ne secum summo agat jure, alioquin neq; se, neq; ul-*
& 40. 14, *lum hominem poße consistere. Vides igitur, aliquem*
& 130. 3. *verè justum eße poße, etiam coram ipso Deo, ac proinde & fide præditum, licet interdum labatur, & aliquid divinæ voluntati contrarium committat.* Num ergo talem hominem, fidem habentem, justum, ne un-

ne unquam peccet perpetuò annitentem, adde etiam peccaſſe ſe dolentem, ignotorum quoq; ſibi ipſi lapſuum ac errorum cum Davide veniam orantem, num, inquam, talem hominē, propterea quòd nihilominus interdū fortè peccet, damnare audebis Meiſ. nec inter legis rigorem, per opera juſtificantis, & inter Evangelicam gratiam, quæ fide vera & viva contenta eſt, & ſatis habet, non carnem, ſed ſpiritum in homine dominari & regnare, diſtingves? Tu verò lubentiſſimè iſtud concedes, qui etiam in peccatis hærentem, dummodo peccatorum ſuorum dolore ducatur, cœlorum civem fore dicas. Iam ergo, vel ſententiam iſtam noſtram cum hac tua aſſertione nihil pugnare, & ſic te adverſum nos nihil agere, neceſſe eſt ut agnoſcas; vel, ſi iſta ſecum conciliari non poſſe putes, omnem actum peccati è regno cœlorum reipſa excludere, & non excludere, *quidquid tibi ad argumenta tua reſpondendum cenſueris, hoc idem & à nobis reſponſi accipito. Vides Meiſnere, uno ictu concidiſſe univerſam molem tuam, quam hoc loco, & Scripturæ dictis, & exemplis, & rationibus contra nos erigere conatus es. Sed ne videamur eminùs tantùm tecum pugnare velle, age cominus agamus.*

Dicta Scripturæ, quibus Meiſnerus oſtendere conatur, omnem peccati actum è Regno cœlorum excludere.

PRimum Scripturæ dictum, quod profers ad probandum, unicum actum peccati voluntariè commiſſi excludere hominem è regno cœlorum, ſumptum eſt ex Deut. 27, verſu ultimo. Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea: quibus addis, Lex igitur requirit perfectam obedientiam, ita quidem, ut qui in uno deliquit voluntariè, is in maledictionem protinus incurrat. Rectè omninò colligis Meiſnere, & hoc idem in iſtis legis verbis contineri, jam ante docuit Apoſtolus Gal. 3. 10. Sed nobis nunc non de eo loquendum eſt, quid lex requirat, ſed quid requirat Evangelium. An enim neſcis, longè aliam juſtificandi rationem in Evangelio eſſe traditam & promulgatam, quàm erat in Lege? Lex requirebat opera: Evangelium contentum eſt fide, & tali, qualem in unoquoq; fides producere poteſt, obedientia. Lex mereri volebat juſtificationem. Dicit enim, qui fecerit ea homo, vivet in eis. Evāgelium gratiâ & miſericordiâ divinâ eam conferri docet. Legis illa, quam citaſti, rigida ſententia, per gratioſam Evangelii vocem, & Chriſti mortem eſt antiquata. Ideò dicit Apoſtolus, quòd nos Chriſtus redemerit ex Legis maledictione, factus pro nobis maledictio, id eſt, legis iſtum rigorem ſua morte & ſangvine, quo Novum Fœdus ſancivit, penitus antiquavit, ut, quemadmodum ſubjicit Apoſtolus, Gentibus benedictio Abrahami (id eſt, juſtificatio & immortalis vita)

Levit. 18. 5.

vita) contingat in Christo Iesu, & promissionem spiritus accipiamus per fidem. *Fides ergo, Meisnere, in Novo Fœdere utramq; paginam facit, dummodo sit vera, efficax, & bonis operibus animata, sine quibus, utpote mortua, nullam vim ad justificandum habet. Quæ efficax & viva fides, ut excludit habitus omnes vitiosos, & actus etiam omnes Dei metum ac reverentiam excludentes: sic perfectissimam obedientiam necessariò non requirit, alioquin idem esset per fidem justificari, & per opera, nec Novum Fœdus in modo justificandi multùm differret à Veteri. Propria verò vineta cædis Meisnere, dum ex isto legis dicto argumentum nectens, propositionem tuam,* Quicunq; subjacet maledictioni legis, is salvari nequit, *sic limitas,* nisi agat pœnitentiam, & per Christum à maledicto illo liberetur *Quid enim concludes?* omnem actum peccati voluntariè commissi damnare, nisi quis agat pœnitentiam, & per Christum liberetur. *Hac enim limitatione omnem illam vim legis penitus enervas, & pro legali Evangelicam, quam nos volumus, justificandi rationem inducis, quæ est per pœnitentiam, & per Christum; & sic revera nihil contra nos concludis. Nos enim nunc de eo, ut dictum est, agimus, an per pœnitentiam, & per Christum, isti à maledicto non liberentur, qui interdum aliquid Christi præceptis contrarium committunt, nec tamen in ullo habitu peccati manent. Nos liberari affirmamus. Tu, qui nos gra-*

vissimè in eo errare dicis, non tantùm idem, quod nos, affirmas: sed etiam putas, eos, qui in habitibus hærent, & quidem ad mortem usq;, per Christum ab æterna damnatione liberandos esse. Hanc autem limitationem quia in omnibus Scripturæ dictis, quæ citas, intelligendam putas, hinc apparet, te reverà nihil adversum nos agere, imò tua ipsius argumenta per istam ipsam limitationem penitus evertere.

Alterum dictum sumtum est ex Matth. 5, 19. ubi Christus dicit: Quicunq; solverit unum ex mandatis istis minimis, minimus *(id est nullus)* vocabitur *(id est, erit)* in regno cœlorum. At verò hunc, qui voluntariè actum aliquem peccati committit, solvere præcepta legis non tantùm minima, sed etiam magna, *affirmas. Respondeo. Si solvere aliquod mandatum, hoc loco, significat, illud pro nullo habere, & non obligare putare, quemadmodũ ipse hîc dicis, & ipsæ loci circumstantiæ quodammodo requirunt, nego hanc, quam subjicis, isto sensu, Minorem. Cùm transgredi quispiam mandatum possit, & sæpe multi transgrediamur, nec tamen illud pro nullo, aut nullam obligationis vim habente ducamus. imò, quia peccasse nos dolemus, hinc apparet, quòd mandati vim & obligationem agnoscamus. Sin verò per istam mandati* λύσιν *intelligendam omninò contendas mandati transgressionem, dicimus, hoc Christi dictum secundùm analogiam Evangelicam accipiendum esse, id est, de tali transgressione, quæ fidem in Christum,*

stum, & perpetuum Deo obediendi studium & conatum evertat, qualis ea est, si quis in habitu peccati quamvis minimi hæreat, & Deum offendere perseveret. quo sensu similiter Minorem negamus. De tali autem transgressione Christum loqui, ut res ipsa, sic & sequentia Christi præcepta manifestum faciunt. Nec enim illum qui semel, verbi causâ, fratri suo iratus fuerit, aut eum aliquo convicio impetierit, si habitu & consuetudine irascendi & conviciandi prorsus careat, & contrariis virtutibus per fidem in Christum ornatus sit, è regno cœlorum, vi Novi Fœderis, protinus exturbandum esse, puto te agniturum, qui etiam fratricidis, meritum Christi amplexantibus, veniam semper paratam esse, non sis negaturus.

Tertium dictum est Rom. 1. v. ult. quod sic, vulgatam interpretationem sequutus, citat: qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. *Unde tale nectit argumentum:* Quicunq; dignus est æterna morte, is è regno cœlorum excludetur. Sed omnes contra conscientiam peccantes, sive semel, sive aliquoties, juxta Pauli sententiam sunt tales &c. *Respondeo ad Majorem, eam esse falsam, cùm nullus hominum, Christo excepto, sit, qui non peccaverit, ac proinde regno cœlorum indignum, & morte dignum sese non reddiderit: & tamen multi regnum cœlorum adipiscentur, nimirum non ex propria dignitate & merito,* Rom. 6

sed ex

sed ex mera Dei gratia & benignitate, qua eos, qui peccatis valedixerint & pro virili ejus voluntatem constanter exequuti fuerint, pro justis pronunciare, & ab æterna, quam meruerant, morte liberare, ac vitam æternam eis donare constituit. Quocircà hic Pauli locus nihil ad rem facit, quippe qui non de eo, quid futurum sit iis, qui peccant, sed tantùm, quo illi digni sint, agat. Deinde ad Minorem dico: Non posse ostendi, hanc esse sententiam Pauli in istis verbis, quam vult Meisnerus. Nam primò Paulus non tam ex sua tantùm sententia hoc effatum pronunciat, quàm, istud jus Dei optimè notum esse peccatoribus ipsis, de quibus locutus est, affirmat. At verò eum, qui vel unicum actum committit alicujus istorum peccatorum, quæ superiùs enumeravit Apostolus, verbi causâ, qui semel alicui invidit, aut cum aliquo contẽdit, dignum esse morte, eaq; æterna, (de tali enim Paulum loqui ipse Meisnerus fatetur,) & quidem sic dignum, ut ea illi omnino sit infligenda, (nam alioquin, ut dictum est, argumentum hoc Meisneri nihil ad rem faciet,) ne ipse quidem Meisnerus agnoscit, nedum ut omnium mentibus, quemadmodum Paulus innuit, hujus rei notitia insculpta sit. Quin potiùs hoc ipsa ratio unicuiq; dictat, Deum, qui omnis æquitatis ac benignitatis est plenissimus, stricto jure cum hominibus non acturum, nec illos propter leviores quosdam actus, si alioquin toto pectore ipsi placere studeant, condemnaturum esse. Quæ Dei æquitas ac clementia sub Novo Fœdere clarissimè est

promul-

promulgata. Deinde licèt Paulus de agentibus, *&* *de* actib⁹ *vitioſis loquatur, ut dicis: ex ſuperioribus tamen illius verbis apparet, quales agentes intelligat, nempe non tales, qui aliquando aliquid malum agunt, ſed ut ipſe locutus eſt,* qui ſunt pleni injuſtitia, pleni invidia, qui ſunt detractores, Deum odio habentes, contumelioſi, ſuperbi. *Itaq; iſta verba,* qui talia agunt, *idem valent, acſi dixiſset,* qui tales ſunt. *Iam verò non ſtatim eſt injuſtus, invidus, detractor, &c. qui aliquando injuſtè agit, invidet, detrahit, ſed qui id facere conſuevit. Addit Meiſnerus, dici hîc,* conſenſum reatum mortis inducere. ideoq; id multo magis de ipſo actu vitioſo ſtatuendum eſſe. *Sed ut alia omittam, ſciendum eſt, in Græco longè aliter legi, non ut tu citas;* non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt, *acſi illud ſit majus, hoc minus: ſed hoc modo:* ſcientes jus Dei, quòd qui talia faciunt digni ſunt morte, non ſolùm ea faciunt, ſed etiam facientibus conſentiunt. *Iam autem ex his verbis apparet, minus eſse Paulo facere talia, quàm conſentire, ſeu ut eſt in Græco,* συνευδοκεῖν *(quod complacentiã quandam ſignificat) talia facientibus. Et revera minus eſt. Nam qui ipſe quidem vitiis eſt deditus, in aliis tamen ea reprehendit, adhuc vitiorum turpitudinem agnoſcit, licèt propter voluptatem illa ſectetur. At verò qui, cùm ipſe nullam voluptatem ex vitiis alienis ſentiat, ea tamen ab aliis fieri gaudet, &, ut*

fiant,

fiant, consensum suum præbet, is sanè nequissimus est. Unde simul apparet, Paulum non loqui de iis, qui aliquando aliquid turpe faciunt, non ex habitu aut malitia, sed ex humana infirmitate. Nam quis esset *iste saltus, à talibus, qui omnium minimè sunt mali, imò qui sunt inter homines optimi, transilire ad bipedum pessimos & nequissimos?*

Quartum dictum Rom: 6. versu ult. Stipendia peccati mors. *Velim primò ad hoc argumentum respondeat ipse Meisnerus, qui statuit, quemvis peccatorem, dummodo pœnitentiam agat, id est, peccâsse se ex animo doleat, & meritis Christi confidat, ab istis peccati stipendiis fore liberum. Quid dicet? Dicet, opinor, hoc dictum non habere locum in iis, qui verè Christi sunt, & ad illum pertinent. quid ergò nobis illud objicit, qui non de aliis quàm de talibus loquamur? At verò Meisnere, si per istam tuam pœnitentiam Christianis impunè peccare licet, & verè ad Christum pertinere quispiam potest, licet peccato sit deditus, quorsum Apostolus hoc dicto utitur? Annon ut Christianos à peccato avocet, ostendens, quantum damnum peccatum secum ferat? At dicet Lutheranus aliquis. Quid tu nos, Paule, puerilibus istis larvis & inanibus terriculamentis aggrederis? an ignorare nos putas Christi beneficium, & impunitatem ejus meritis partam, dummodo peccâsse nos doleamus, & ejus meritis innitamur? Nullas vires in nobis peccatum habere potest, ut nos morti mancipet, omnes illi vires pœnitentia ista, &*

Chriſti meritum quovis tempore adimit. Hac reſponſione, credo, *Paulus confuſus abiret, qui aliquoties hoc capite Chriſtianis, ſi peccato ſerviant, mortem tàm ſeverè interminatus eſt. v. 16, 21. 23. At non ſic Meiſnere, ut vos putatis, ſpiritus ſanctus hominibus illuſit, aut iis fucum facere conatus eſt. Seriò rem agit, ut Chriſtianos á peccato abducat, & non fruſtrà, ni pareant, mortem illis minatur, nec bruta in eos fulmina contorquet. Iam verò nòn id agit Apoſtolus, ne Chriſtiani unquam ulla in re, ne minimùm quidem delinquant, ſi perire nolint, ſed ne regnare peccatum in corpore ſuo patiantur. v. 12. ne membra ſua peccato tanquam arma injuſtitiæ præbeant, verſ. 13. ne peccatum iis dominetur. v. 14. ne ſervos ſe in obedientiam peccato præbeant. v. 16. ne ſervi peccati ſint v. 17, 20. ne membra ſua ſerva præbeant peccato v. 19. ut manu miſſi ſint à peccato v. 18. 22. quibus omnibus locutionibus, peccati regnum & dominatum, non verò omnem omninò actum à Chriſtianis vult abeſſe Apoſtolus. Vnde ex ipſo Apoſtoli ſcopo apparet, eum per peccatum, cujus ſtipendia mortem eſſe dicit, tale peccatum intelligere, cui quiſpiam ſervit & militat: quod tùm fit, cùm habitu & conſvetudine peccati tenetur; non autem cùm ex infirmitate nonnunquam fortè labitur. Ipſa ſtipendiorum vox indicat, loqui hic Apoſtolum de peccato regnante, imperante, & in membris noſtris militante. Sed & oppoſitum vitæ æternæ donum idem demonſtrat. Quemadmodum enim vita*

æterna

æterna non donatur iis, qui interdum aliquid justum faciunt; sed iis demùm, qui justitiæ, ut superiùs loquitur, serviunt, & illi mancipati sunt: sic nec stipendia mortis persolvuntur nisi iis, qui peccati imperio subsunt. Et denique ipsius Christianæ *religionis ratio id requirit, ut per peccatum intelligatur peccatum regnans seu homines sibi mancipatos habens.* Nam *alioquin modus justificandi per fidem, quemadmodum non multò antè indicavimus, everteretur.* Neque *enim arbitramur Paulum, cùm peccati stipendia mortem esse dicit, non seriò istud, nec doctrinæ* Evangelicæ *voce pronuntiâsse.* Iam *igitur videre potest* Meisnerus, *an ex hoc loco probari possit, omnem actum peccati voluntarium inferre mortem, & an nullas sufficientes rationes, ut ille dicit, (onus interim argumentandi in nos rejiciens,) proferre possimus, cur per istud peccatum, cujus stipendium mortem esse dicit Apostolus, non debeat intelligi quivis peccati actus. Quodsi tamen præfractè concedi sibi voluerit, per peccatum hoc loco, quemvis peccati actum voluntarium, etiam minimum, intelligendum esse, concedemus id illi sanè, dummodo priùs fateatur, Paulum non seriò rem egisse, nec posse istud dictum cum beneficio per* Christum *parto consistere.* Eligat *jam utrum volet.*

Quintus locus Rom: 8. 13. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. *Secundùm carnem vivere Meisnero est, spiritu suppresso carni obtemperare, etiamsi id vel semel tantùm fiat. quod illu-*

ſtrat exemplo commiſſi ab aliquo adulterii, quem hominem tùm, cùm inſtigante carne contra ſpiritus dictamen adulterium committit, ſecundùm carnem vivere dicit, licet vel ſemel tantùm adulterium perpetret. atque etiam iſto dilemmate ad probandam ſuam ſententiam utitur: Homo actualiter & volenter peccans, aut vivit ſecundùm carnem, aut ſecundùm ſpiritum: quia hic tertium non datur. Sed non prius: Ergo poſterius. *Unde concludit, eum, qui ſemel voluntariè peccaverit, moriturum eſſe. Hìc iterum ex te quæro, Meiſnere, num bona fide credas, hominem moriturum ſi ſecundùm carnem vixerit, nec aliter fieri poſſe putes?* Nam *ſi aliter fieri poſſe putas, quid nos iſtiusmodi dictis urges? Si non putas, libenter vellem audire, quid ad hæc reſponſurus ſis.* Nos, *qui bona fide dictis iſtis credimus, & nihilominus perſvaſum habemus, Chriſtianum hominem, propter quemlibet peccati actum moriturum non eſſe, quid reſpondeamus accipe.* Negamus, *ex mente Apoſtoli, eum ſecundùm carnem vivere dici, qui aliquando, ſuppreſſo ſpiritu, carnis impulſum ſequitur & exequitur. Vivere enim apud Paulum mores & conſvetudinem vivendi ſignificat, uſitato ſenſu: ut ex virtute vivere, in peccato vivere, Rom: 6. ver. 2. piè vivere. 2. Tim: 3. 12. Iuſtitiæ vivere, 1. Pet: 2. 24. ſecundùm Deum vivere, cap: 4. 6. Idem indicat vox ambulandi, quâ in eadem ſignificatione uti ſolet Paulus. Ambulatione enim Hebraica*

phrasi significari consvetas vitæ actiones, nullus est quis nesciat. Tu ipse paulò antè folio 20. dixisti, per viam notari consveta studia, consvetudines & habitus. Vt enim, *inquis,* via, sæpè calcatur, ita id, quod crebrò facimus, via nostra vocatur. *At ambulatio relationem habet ad viam. Quemadmodum igitur is, qui aliquando, suppreßo carnis desiderio, spiritus ductum sequitur, non idcircò tamen secundùm spiritum vivere, aut ambulare dici potest; sic neque contra.* Nec *est quod dicas, saltem tum hominem dici poße secundùm carnem vivere aut ambulare, cùm carnis impulsum sequitur. Hoc enim etiamsi tibi concederetur, non tamen quidquam efficeres. Paulus enim de tali secundùm carnem, vel etiam secundùm spiritum ambulatione, seu vita loquitur, quæ simpliciter sic appellari mereatur, non autem pro brevi aliquo aut exiguo tempore.* Nam *alioquin ludicrum planè eßet id, quod diceret. Quoties enim homo actum aliquem vel honestum vel inhonestum faceret, vel spiritui vel carni obsequeretur, toties nunc æternæ vitæ jus haberet, nunc morti obnoxius eßet. Vnde jam prospicis quàm illud tuum dilemma sit infirmum.* Nam *eodem dilemmate, tantùm inverso, cõtrarium de eodem homine concludi poßet: nempe eum, ut in æternum moriturum, sic etiam in æternum victurum eße. Sic enim argumentabor:* Homo *actum aliquem honestum perficiens, aut vivit secundùm spiritum, aut secundùm carnem.* Non *hoc:* Ergo *illud, & per consequens in æter-*

in æternum vivet. Vides tàm facilè poſſe hominem tuo iſto dilemmate cœlo aſſeri, quàm morti mancipari. Vitium autem iſtius dilemmatis in eo eſt, quòd in propoſitione vivere ſecundùm carnem, & vivere ſecundùm ſpiritum accipiatur in habitu: in aſſumtione autem accipiatur in actu. Vnde non valet conſequētia. Vt ſi dicerem: Homo *injuſtè aliquid agens, vel eſt juſtus vel injuſtus.* Non *eſt juſtus: quia non facit opera juſtitiæ.* Ergo *eſt injuſtus.* Non *ſequitur, quia licèt non ſit juſtus, nec opera juſtitiæ faciat in actu, ſcilicet tùm cùm injuſtè agit; non tamen idcirco juſtus non eſt, nec opera juſtitiæ facit in habitu. Quod verò ſpeciatim ad eum attinet, qui unicum actum adulterii committit, fatemur, hunc hominem carnis mancipium, ac proinde etiam moriturum eſſe, niſi Deus illi vitam proroget, ut peccatum ſuum diu multumq́ deflere & omni in poſterum contentione pietatis eluere poſſit, idq́ re ipſa faciat. propterea quòd hic actus cum ſumma illa Chriſtianorum ſanctitate adverſa fronte pugnet.*

Sextus locus, 1 Ioh. 3. 8. Qui facit peccatum ex Diabolo eſt, *& v. 15.* Omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt *&c. Vbi per* facere peccatum *vult intelligi Meiſnerus unicum peccati voluntarii actum, & per odium ſimiliter, non odii habitum, ſed actum.* Stamus, *inquit,* in literâ, niſi contrarium ab adverſariis ſufficienter probatum fuerit. *Rigidus es nimiùm Meiſnere; ſed illico de rigore & ſeveritate remittis. Tam enim facilè,*

cilè, tuâ sententiâ, quispiam ex Deo nascetur, quàm ex Diabolo. Ex Diabolo unico peccati actu, ex Deo unico virtutis actu. quid? ne hoc quidem est opus, sufficit post peccatum doluisse. An non vides, ex Diabolo esse, nihil aliud significare, quàm Diaboli esse filium; quemadmodum ex v. 10. apparet, ubi pro esse ex Deo, vel ex Diabolo, dicit Ioannes, esse Dei vel Diaboli filium? Num igitur, Meisnere, hominem justum propter unicum injustitiæ actum Diaboli vocabis filium? Erit igitur aliquis simul & semel Dei & Diaboli filius? quatenus justus est, ex Deo erit, Dei filius erit? quatenus aliquid injustè facit, ex Diabolo erit, Diaboli filius erit? quid potest dici absurdius? An fortè plùs valebit unicus actus peccati, ad constituendum aliquem Diaboli filium, quàm perpetua justè agendi consuetudo, ad eundem Dei filium efficiendum? An nescis, aliquem vel Dei, vel Diaboli filium dici propter similitudinem cum Deo, vel cum Diabolo? Num ergò vel cum Deo similitudinem habet, qui aliquando aliquid justi agit; vel cum Diabolo, qui aliquādo aliquid agit injusti? Annō Dei proprium est, consvetudinem habere justè agendi; Diaboli, consvetudinem habere peccandi? versu 8. Ille ergò demum similis Deo erit, qui consvevit justè agere, & contrà, Diabolo, qui consvevit peccare. Nam quòd Deus nunquam injustè agat, Diabolus nunquam justè, hoc non tollit similitudinem, sed æqualitatem. Ipsum ergo ex Deo vel Diabolo esse, aut natum esse, Dei, aut Diaboli filium esse, docere te poterat, per

facere

facere peccatum, *non eſſe intelligendum unicum aliquem peccati actum, ſed peccandi habitum. Præterea cùm dicit Ioannes ver: 6.* Omnis qui peccat, non vidit ipſum, neque cognovit ipſum; *num per* peccare, *intelligit unicum aliquem actum peccati perficere? Atqui ſuperiùs oſtendimus, neminem, Chriſto excepto, ita ſanctum & juſtum fuiſſe, quin aliquando aliquid peccaverit. Num ergo protinus omni Dei notitia ac cognitione caruiſſe dicendus eſt? Quis ergò non videt, peccare Ioanni eſſe, in peccato hærere, ſeu crebrò peccata perpetrare, & ut cap: 3. v. 3. eandem ſententiam exprimens loquitur,* præcepta Dei non ſervare, *quod nonniſi de iis dici ſolet, qui ea transgredi conſveverunt. Id ipſum apparet ex oppoſito,* facere juſtitiam. *Hoc enim non ſignificat, aliquando aliquid juſtum facere: ſed conſvetudine juſtè agēdi præditum eſſe. Nam alioquin quomodo verum eſſet id, quod Ioannes dicit ver: 7:* Qui facit juſtitiam juſtus eſt, quemadmodum ille jùſtus eſt? *Num ob unum juſtè factum quispiam ſit juſtus, & quidem ſic, ut ſimilitudinem juſtitiæ cum Deo habeat? Adde, quòd vox* peccati *in Novo Teſtamēto enorme aliquod peccatum, & gravius ſcelus, quod timorem Dei excludat, vel ſaltem plures peccandi actus declarare ſoleat. Vide inter alia Luc: 15. 18. Ioh: 9. 2, 3. Rom: 6. 15. & 2. Cor: 12, 21: 13. 2. Heb: 3. 17. Sed & ipſum verbum* faciendi, *præſentis temporis, frequentationem actionum ſignificare ſolet. Ideo etiam ver: 4. Ioannes eum,*

nes eum, qui peccatum facit, *tacitè opponit illi, qui per æternæ vitæ spem, seipsum, ad similitudinem puritatis divinæ, purificat. At isti homini non is opponitur, qui aliquando in re aliqua simpliciter peccat, (nam nullus hoc modo purus esset,) sed qui vel grave aliquod scelus perpetrat; (nam istiusmodi actus semper habitibus adjungimus,) vel in aliquo peccati habitu hæret. Denique ipsum Christum omni exceptione majorem autorem habemus, qui isto, quem volumus, sensu, hac phrasi apud Ioan: usus est, cùm inquit:* Qui facit peccatum, servus est peccati. *At quos notat istis verbis Christus? Nonne Iudæos, homines peccatis deditissimos, quos &, hoc argumento servitutis turpissimæ, contra quam illi gloriati fuerant, convincit? An verò continuò servus est & mancipium peccati is, qui aliquem peccati actum committit, cùm interim justitiæ, rectè agendi consvetudine, mancipatus sit? Sed quid tandem, Meisnere? si ex Diabolo est, ac proinde cum Diabolo damnandus est is, qui unicum tantùm actum peccati committit, quis Christianorum, imò Apostolorum, te judice, ex Diabolo non erit? damnandus non erit? & quid fiet illis tuis Lutheranis, qui ad mortem usque multos peccatorum habitus non deposuerunt? Quibus tandem machinis eos ex Diaboli peculio erues? pœnitentiâ, inquies. Sed ne quis erret in nomine, non eâ quæ in emendatione vitæ consistit, (quomodo enim emendare eam possint morituri?) sed quæ in solo dolore posita est. O*

magnum

magnam iſtius pœnitentiæ vim, quæ ipſam rerum naturam invertere poteſt, & factum infectum reddere, quæ eum, qui verè Diaboli filius eſt, non renovatum, non alium factum, Dei filium, & Regni cœleſtis hæredem facere poteſt! Quid ergò tanto molimine agis? quid omnes vel minimos peccatorum actus tantopere exaggeras, ſi unica pœnitentia hoc totum invertit, ſi efficit, ut nec is, qui peccat, non tantùm in actu, ſed etiam in habitu, Diaboli ſit filius, nec ſi vel maximè eßet, Regno cœlorum excluſus maneat? Itaque vicimus ſententiâ tuâ, qui hominem non tantùm pœnitentiâ iſtâ, ſed etiam juſtitiâ, & omnium virtutum habitu præditum, propter unicum peccati actum, nec tamen quemlibet, damnatum iri negamus.

Sed age patiare nos quoque Meiſnere contra te literam aliquantulum urgere. Ioannes ſine ulla limitatione & exceptione dicit: Eum, qui peccatum facit, ex Diabolo eſſe. *Vnde apparet, peccatum facere, & ex Diabolo eße, individuo vinculo ſecum cohærere, ſic, ut dum aliquis peccatum facit, ex Diabolo neceßariò ſit. Aut ergo pœnitentia iſta tua, quæ indißolubili nexu cohærent, & ſeſe planè conſequuntur, ſuo interventu dirimere dicenda eſt, ſic, ut propter eam, etiamſi quis vel maximè peccatum faciat, Diaboli tamen filius non ſit; aut ei tanta vis tribuenda, ut ſubita metamorphoſi Diaboli filium, & inferni mancipium, in Dei filium & Regni cœlorum hæredem transmutare queat. Si illud*

dicis, ſtamus in litera, *(tuis verbis utor,)* quæ ſimpliciter dicta ſunt, ſimpliciter accipienda eſſe dicimus. *Non admittimus iſtam tuam exceptionem, niſi eam admittendam eße ſufficienter probaveris. Si poſterius dicis, vide, quàm crebræ & propemodum infinitæ erunt in uno homine metamorphoſes. nunc ex Deo, nunc ex Diabolo, nunc ſalvandus, nunc damnandus erit. quoties peccabit, Diaboli filius erit, quoties ſe peccâße dolebit, Dei filius erit. Vnde autem hanc vim iſti tuæ pœnitentiæ ineße probabis? tantùm memineris, te non de ea pœnitentia loqui, quæ hominem ex injuſto verè juſtum efficit; ſed quæ in ſolo propter peccata dolore poſita eſt. Si ergo omnis, qui peccatum facit, ex Diabolo eſt, ſine ulla limitatione; nec pœnitentiâ iſtâ tuâ efficitur, quominus quis ex Diabolo eße deſinat; tum aut omnes, etiam ſanctiſſimi homines, qui Dei filii ſunt, ex Diabolo erunt, damnandi erunt; quandoquidem vix ullus eſt, qui non aliquando aliqua in re peccet: aut peccatum facere non ſignificabit quemvis peccati actum, ſed habitum. Vnde etiam neceßariò conſequitur, tuos omnes Chriſtianos, in habitu peccati manentes, licèt vel maximè ſe peccâße doleant, Diaboli filios, ideóq; damnandos eße.*

Quod ad fratris odium attinet, miror te illud inter peccati actus, habitui oppoſitos referre. Odium enim eſt ira inveterata. Atqui ira inveterata non eſt unicus aliquis iraſcendi actus, ſed eſt iræ duratio quædam, ac continuatio. Deinde cùm odium charitatis

tatis privationem complectatur, unde Ioannes charitati illud opponit cap. 2. 9, 10, 11. & pro non diligere fratrem, odiße fratrem reponit hoc loco, ut ex superiori ver: 14. apparet, quomodo inter simplices peccati actus habitui oppositos referri potest? Charitas est tanta virtus, quæ omnes ferè alias in se complexa est. At ista tanta virtute destitutum eße, quid aliud est, quàm ingentis peccati habitu teneri? Præterea cùm odium charitati opponatur apud Ioannem: Charitas autem non nudum tantùm benevolentiæ affectum complectatur, sed etiam consvetudinem ab omni injuria erga fratrem abstinendi, illumq́, omnibus officiis juvandi, sic, ut animam etiam pro fratre ponere sis paratus, ver. 16, 17, 18: idcirco & odium non nudam quandam animi aversionem significat, sed cum effectis suis, nempe malefaciendi, vel fratrem, cùm opus est, non juvandi consvetudine conjunctam.

Septimus locus 1 Ioh. 5. 18. Scimus quod omnis, qui natus est ex Deo, non peccat. *Non erat, Meisnere, cur in alio capite hoc dictum quæreres, cùm in eodem capite, ex quo superiùs dictum citasti, altero statim post illa verba,* Qui facit peccatum ex Diabolo est, *versiculo, hoc ipsum scriptum extet, & adhuc aliquanto pleniùs. Sic enim inquit Ioannes:* Omnis qui natus est *(vel potiùs* genitus) ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in illo manet, & non potest peccare, quia ex Deo genitus est, *v 9. Vbi non tantùm*

dicitur genitum ex Deo non peccare, ſeu peccatum non facere, (nam hæc duo idem ſignificare, & locorum iſtorum collatio, & hic ipſe, quem modo citavimus, locus demonſtrat. Nam in priore ejus membro, eſt peccatum facere, *in altero autem ſimpliciter* peccare,) *ſed etiam eum nō poſſe peccare affirmatur, & utriusq; rei ratio affertur.*

Per peccare *igitur hoc loco, ſuo more, intelligit Meiſnerus unicum peccati actum voluntarium committere. Vtitur tamen hîc vocibus quibus adhuc uſus non eſt, nempe* contra conſcientiam peccare. *Vtrumq; iſtorum contra conſcientiam peccare & voluntariè peccare, ſicut jam antè monuimus, de gravioribus peccatis, quæ planè ex malitia fiunt, uſurpari ſolet. Sed jam verborum pondera, quibus aliquod cauſæ ſuæ momentum vult addere Meiſnerus, non examinamus. Rem ipſam expendimus, & quærimus an omnis peccati non prorſus involuntarii actus, ut, verbi cauſa, ſemel iraſci fratri, ſemel eum convicio aliquo appetere, hominem è Regno cælorum excludat, ſeu, quod hic idem eſt, efficiat, ne quis ex Deo ſit genitus? Si ergo, mi Meiſnere, omnis ejusmodi actus id efficit, ſive, ut loqueris, ex renato facit non renatum, ac proinde damnandum, cum verbi cauſa Petrus, aut Paulus, aut Barnabas aliquo actu aliquantulùm à recta via deflexerunt, cùm Petrus hypocriſi illa, quam Paulus reprehendit, peccavit, Paulus autem & Barnabas in contentionem illam prolapſi ſunt, ut à ſe invicem divellerentur, num eo*

ipso renati, ex Deo nati ac geniti esse desierunt? num illico Diaboli filii facti sunt, & in damnationem inciderunt? Annon hoc dictu horrendum est? Et tamen ausus es dicere, eum, qui peccat, (*unico nempe peccati alicujus actu,*) non amplius renatum manere. *Num ergo dolore post peccati alicujus actum iterum renati sunt? Video non fungos citiùs, quàm Dei filios, apud Meisnerum nasci, iterumq; denasci. Quòd si ergo vir aliquis sanctissimus & justissimus, in illo temporis articulo, quo verbi causa convicium aliquod leve, gravi affectus injuriâ, jecit in fratrem, facere id alioquin nequaquam solitus, subitò extingvatur, sic, ut pœnitentiam istius sui facti agere nequiverit, num fide, justitia, & omni sanctitate hoc unico facto amissa, ex Dei filio ac homine renato factus est Diaboli filius, & non renatus, & sic sempiternis ignibus torrendus? Quod si hoc dicere horres Meisnere, agnosce ergo tandem, non omnem peccati cujuslibet actum hominem è Regno cœlorum excludere, ex renato ac Dei filio, non renatum ac Diaboli filium efficere. Quod nõ difficile tibi erit agnoscere, ubi isti tuæ pœnitentiæ paulò minùs tribuere didiceris, &, vera sanctitate vitæ ad salutem opus esse, aliquantulũ intelligere cœperis.*

Sed ad Ioannis verba redeamus. Superiùs ostendimus, per peccatum facere, *intelligendam esse peccandi frequentationem ac consuetudinem, quod idem de voce* peccare *dicimus. Quemadmodum enim, verbi causa, cùm quispiam simpliciter di-*

citur juſtè agere, non intelligitur una aliqua actio juſta, ſed juſtè agendi conſuetudo: ſic cùm quis peccare ſimpliciter, & ſine ulla determinatione dicitur, peccandi conſuetudo notatur. Si ergo peccatum facere, vel peccare, conſuetudinem peccandi ſignificat: non peccare, *aut* peccatum non facere *conſuetudinis peccandi negationem ſignificabit. Hoc idem res ipſa requirit.* Nam ſi non peccare *id ſignificat, quod vult Meiſnerus, id eſt, nullum unquam peccati ullius actum committere; aut nemo ex Deo natus erit, aut id, quod Ioannes dicit, verum non erit: quis enim ſanctiſſimorum virorum, & vel maximè ex Deo natorum, non aliquando peccat, nedum ut peccare non poſſit? aut deniq; nunc erit ex Deo natus, nunc iterum non erit, & mox iterum erit.* Et, *ſi vera eſt veſtratium ſententia, hominem aſſiduè peccare, etiam cum benè agit, aſſerentium, nunquam quiſquam ex Deo natus erit. Præterea ex Deo genitum eſſe, talem animi mutationem aut qualitatem ſignificat, vel includit, quæ unico aliquo cujuslibet peccati actu tolli nullo modo poteſt.* Omnis qui diligit, *inquit idem Ioannes,* ex Deo genitus eſt, *cap.4. 7. & cap 5. v 1.* Omnis, qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, ex Deo natus eſt. *Num verò vel charitatem, vel iſtam fidem tollit quivis peccati actus? quod ſi iſta non tollit, nec genitum ex Deo eſſe tollere poterit, ac proinde non faciet, ut tu vis, ex renato non renatum. V.6. idem dixit Ioannes de eo, qui in Deo manet. At manere in Deo quid aliud eſt,*

quàm

quàm ei firmiter per Chriſtum adhærere, quàm Chriſti doctrinæ ex animo credere? Num verò protinus à Chriſto avellitur is, qui aliqua in re interdum labitur? Ipſa etiam cauſa, quam Ioannes affert, cur ex Deo genitus non peccet, manifeſtum facit, per peccare non eſſe quemvis peccati actum intelligendum. Num enim ſemen Dei, ex quo ſpiritualiter naſcimur, ſeu renaſcimur, quod eſt verbum Evangelicum 1 Pet. 1. 23. quod nos robuſtos reddit, & vires nobis ad vincendum illum malignum ſubminiſtrat, 1 Ioh. cap. 2. 14, in nobis manere non poteſt, etiamſi alicubi interdum officio deſimus? Iam verò ſi per peccatum non facere, ſeu non peccare, intelligamus vel actum aliquem enormem non perpetrare, vel alicujus peccati habitu non teneri, veriſſimè à Ioanne dictum eſſe reperiemus, Eum, qui ex Deo ſit natus, hoc modo nec peccare, nec peccare poſſe. Semen enim illud Dei, quod in eo manet, vi ſua facit, ne vel gravem aliquem actum peccati committat, vel in peccato hæreat. Et hoc ipſum ex Deo natum eſſe, non ſinit aliquem tali peccato contaminari. Qui enim ex Deo genitus eſt, vincit mundum. *cap. 5. v 4.*

Octavus locus Iac. 1. 15. Concupiſcentia, quum conceperit, parit peccatum, peccatum verò, quum conſummatum fuerit, parit mortem. *Reſpondeo, Iacobum loqui de eo, quid ex peccato, naturâ ejus inſpectâ, ſecluſâ Dei gratiâ ſequatur; non autem, quid vi Novi Fœderis fiat: quod & tu ipſe*

tu ipſe agnoſcere cogeris, qui procul dubio iſtud Iacobi dictum non ſimpliciter, ſed cum limitatione intelligendum eſſe cenſes, nempe, niſi quis pœnitentiam egerit, ob quam ex divina gratia fiat, ne mors peccatum conſequatur. Hanc eandem, & adhuc longè majorem limitationem, ut jam aliquoties diximus, nempe fidem per charitatem efficacem, ſeu veram vitæ ſanctimoniam ac juſtitiam, quæ in eo conſiſtit, ut omni peccati habitu careamus, & omnium virtutum habitibus ornati ſimus, (per quod etiam omnis gravior & enormis actus excluditur,) intelligi volumus, cùm quovis peccati actu hominem è Regno cœlorum excludi negamus. Ob iſtam enim fidem & juſtitiam in hominibus exiſtentem, ex Novi *Fœderis gratiâ fit, ne actus quidam leviores, & ex humana imbecillitate commiſſi, illis imputentur. Eſt ergo in argumentatione tua Ignoratio* Elenchi. Non *enim hoc ſimpliciter tibi concludendum eſt,* Omnem actum vitioſum voluntarium generare mortem, & è regno cœlorum excludere; *quemadmodum tu concludis; ſed eum generare mortem, poſitâ Dei gratia* Novo *Fœdere comprehenſâ, & hominibus conceſſâ. Quod verò ais, concupiſcentiam iſtam, de qua Iocobus loquitur,* eſſe labem originalem, *longè rectiùs dixiſſes, eſſe affectum naturalem, quem Iacobus à peccato manifeſtè diſtingvit, & diſtingvendum eſſe ipſa ratio indicat. Niſi enim voluntas proritanti cupiditati aſſentiatur, peccato nullus eſt locus, quod ſine voluntate*

perfici

perfici non potest. imò eximia virtus in eo cernitur, si quis cupiditati non obsequitur.

Nonus & decimus locus apud eundem Iacobum cap. 2. 9. Si personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, tanquam transgressores: *& v 10.* Quicunq; totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus. *Vbi* personas accipere indistinctè significare *putat*, sive semel, sive aliquoties; seu, sive unico actu, sive ex habitu id facere. *Similiter* in uno offendere, esse *inquit*, semel tantum præceptum aliquod Dei transgredi. *Primùm, quid hinc concludis Meisnere?* Omnem voluntariè peccantem, licet in uno tantum peccet, maledictioni legis subjacere, adeoq; salvari non posse. *Rectè sanè. Sed an limitandum hoc esse non censes? nempe, nisi Dei gratia accedat, & gratuita peccatorum remissio, quæ Novo Fœdere iis omnibus est sancita, qui fidem habent per charitatem efficacem, ac proinde virtutum omnium productricem. An ignoras, in iis omnibus, qui Christi sunt, maledictionem legis nullas habere vires, cùm eos Christus à legis maledictione redemerit factus pro iis maledictio? Itaq, vides Meisnere, te iterum Elenchum ignorare. Mirandum sanè est, te, qui putas, eum, qui non in uno, sed vel in omnibus legem transgreditur, maledictioni tamen legis non subjacere, nec à salute excludendum esse, dummodo peccatorum suorum vel moriens pœnitentiam*

tentiam agat, & ad Christi meritum confugiat, tam rigidas adversum nos, tanto molimine & apparatu, fabricare sententias, qui non hominem aliquem ἄπιςον, sed credentem, sed pœnitentem, sed totis viribus Christo obedire annitentem, sed verè justum & pium, omnibusq; virtutibus Christianis ornatum, ob unicum aliquem vitiosum actum, non ex superbia aut contumacia erga Deum, sed ex infirmitate quadam humana profectum, idq; non istius hominis dignitate ac meritis, sed divina gratia & misericordia, ac Novi Fœderis vi, damnari & è Regno cœlorum proscribi negamus. Sed præterea dicimus Iacobi verba secundum Novi Fœderis normam esse intelligenda. Si secundum legis Mosaicæ sensum loquamur, verissimum est, unicum actum cujusvis peccati hominem è Regno cœlorum excludere, & maledictioni subjicere: sed si loquamur secundum illam libertatis legem, cujus v. 12. fit mentio, quæ est Christi Evangelium, secundùm quod judicari à Deo debemus, non quivis peccati actus, sed quivis habitus nos morti & maledictioni subjicit. Si enim quivis actus nos maledictioni subjiceret, servitus hæc ingens esset, non libertas: si verò, ut Meisnerus vult, ne habitus quidem peccati ullus, ingens licentia hæc esset, non libertas. Ita liberi sumus, ut per charitatem alii aliis serviamus, Gal: 5. 13. ita liberi sumus, ut spiritu ambulare, ver. 16, spiritu agi, ver. 18. non carnis opera facere debeamus. Illud si fiat, sub lege non sumus, nec lex ullam vim in nobis damnandis

habet

habet v. 18. 23: hoc ſi ſit, Regni cœlorum hæreditate excludimur ver: 21. Si ergo legem cum hac libertate, quam per Chriſtum adepti ſumus, conjungamus, non propter quemvis proſopolepſiæ actum, ſed propter ejus habitum ab ea damnamur: (quod etiam indicat verbum προσωποληπτεῖν, *quo utitur Iacobus, nec enim ſimpliciter de aliquo dici poteſt, quod* προσωποληπτεῖ, *qui contrarium facere conſvevit:) nec qui in uno præcepto ſimpliciter cadit, omnium fit reus; ſed qui cadit, vel per habitum, vel ſaltem per conjunctum cum divinæ Majeſtatis contemtu actum. Illud etiam obſervandum eſt, Iacobum non dicere, talem hominem damnandum eſſe, ſed tantùm, eum à lege redargui, tanquam legis transgreſſorem, eumq́; totius legis eſſe reum. Iam verò poteſt quis à lege redargui, & totius legis eſſe reus, neque tamen damnari. imò cùm omnes peccaverimus, omnes etiam a lege redarguimur, & totius legis rei ſumus: neque tamen omnes damnabimur, & è Regno cœlorum excludemur. Nam etiamſi vel maximè nos lex coarguat, Chriſtus tamen abſolvet, ſi ſpiritu ambulaverimus, & carnem cum omnibus cupiditatibus & affectibus crucifixerimus, id eſt, omni Chriſtiana virtute præditi, & ab omni vitioſo habitu liberi fuerimus. Quocirca hîc iterum in ignorationem Elenchi incidiſti Meiſnere, & tamen, propoſito iſto loco Iacobi, ais:* quid verò clarius contra ſententiam adverſariorum proponi poſſet? *quaſi*, reum fieri omnium tum præcepto- Gal: 5. 24.

rum, tum pœnarum, *ut ipſe, Iacobi verba explicans, loqueris, continuò & neceßariò, idq́; ſub* Novo *Fœdere, inferat damnationem.*

Commemoras & ſervum illum in parabola, Matth: 18. à Chriſto propoſita, qui ob unicum immiſericordiæ actum a Rege traditus fuerit tortoribus. Hinc, quia Pater cœleſtis nobis ſimiliter faciet, *concludis,* vel unicum peccatum voluntarium iram Dei attrahere, & nos æternæ torturæ ſubjicere poſſe. *Verùm Meiſnere, ignoras Elenchum.* Non *enim quæritur, an poſſit, ſed an neceßariò vi* Novi *Fœderis ſubjecturum ſit: deinde non an unicum peccatum, ſed an quodvis unicum peccatum?* Nam *tale peccatum, quale hîc commemoratur, & in hoc ſervo repræſentatur, ultrò concedimus hominem è Regno cœlorum excludere. Fratrem, à quo injuriâ aliquâ affectus fueris, tanta ſeveritate adoriri, premere, ſuffocare, ad genua accidentem, nec veniam tantùm ſuppliciter orantem, ſed etiam ſatisfactionem pollicentem, tam crudeliter rejicere, in vincula conjicere, id eſt, jus ſuum ſeverè & ſine ulla miſericordia perſequi. An enim hoc factum, licèt unicum, non indicat hominem iſtum prorſus eſſe immanſvetum & immiſericordem, & ingentis illius divini beneficii, ſibi in remiſſione peccatorum omnium exhibiti, ingratum penitus & immemorem? Porrò Chriſtus non a talibus tantùm factis, & a tam gravi vindicta nos iſta parabola dehortari voluit, ſed, quemadmodum Epilogus illius indicat,*

illud

illud à nobis requirit, ut ex animo quisque fratribus nostris condonemus ipsorum in nos delicta: *quod nisi fecerimus, idem nobis, quod servo isti accidit, eventurum minatur. Longè autẽ minus est non remittere, idq́ penitus & ex animo, injuriam, quàm eam tam severè & rigidè persequi. At injuriam ex animo non remittere, nihil aliud est, quàm cupiditatem vindictæ in animo fovere, vel etiam in aliquem ideò, quòd ab illo sis læsus, minùs benevolum esse, minusq́ eum amare. Hoc autem si in animo perseveret, habitus est; si verò statim ex animo, Dei metu, pellatur, num putas tale factum iram Dei & æternam damnationem, idq́ sub Novo adeò gratioso Fœdere, attracturum esse? quid, si etiam ad levem aliquam vindictam res deveniat, & verbo aliquo, sese quispiam ulciscatur, cùm tamen minimè alioquin id facere consveverit, ac injuriarum patientissimus sit: num istud factum unicum non ex habitu ullo, nec ex divinæ Majestatis contemtu, sed ex humana quadam infirmitate profectum, nonnisi sempiternis ignibus expiandum tibi videbitur? Non adeò es rigidus, Meisnere, quin tantis incommodis illam tuam pœnitentiam statim mederi posse dicas. Itaque salva res est. Nec enim, opinor, minorem esse dices vim universæ pietatis Christianæ, quàm solius istius pœnitentiæ. At verò etiámne pœnitentia ista medebitur habitui ac consvetudini ulciscendarum injuriarum, Meisnere, si quis in ea ad mortem usque duret? etiámne medebitur*

tali facto, quale servus iste in conservum suum exercuit, si jam ad ipsius Regis judicium ac sententiam res deveniat? Cur ergo servus iste hoc remedio tam facili tamq́; efficaci, ut Meisnero videtur, usus non est? Num fortè minùs fuit sagax, quàm vos estis? Cur non testatus est, se jam velle conservi sui misereri, illiq́; omne delictum remittere? quid? cur alium pro se debitum omne Regi persolvisse, idq́; se penitus credere, non ursit? Cur hac defensione usus non est, præsertim cùm Rex liberalitatem illi suam exprobraret? Annon vel ex hac parabola liquet, Meisnere, quàm fallax sit & incertum istud tuum pœnitentiæ jam seræ, quàm vitæ emendatio consequi nequeat, & fidei merita Christi sibi applicantis remedium? Rectè autem in hac parabola notandum mones, isti servo remissum fuisse primùm omne delictum. *Hinc enim apparet, remissionem peccatorum, quam ad Christum primùm conversi consecuti fuerimus, irritam fieri & inefficacem, si in peccata relabamur: quæ semel amissa non jam amplius solo ob commissa peccata dolore, nudaq́; sanctè in posterum vivendi sponsione, sed vera & in effectum deducta vitæ sanctitate & peccatorum abdicatione recuperari potest.*

Exempla, quibus idem confirmare Meisnerus conatur.

Allatis ex Scriptura testimoniis, affert deinde & exempla Meisnerus, quibus probare vult, aliquem

ob uni-

ob unicum peccati actum damnari, ſeu è Regno cœlorum excludi. At non de eo nunc agitur, Meiſnere, ſed an ob quemvis unicum actum id fiat? Et ut videas, quàm iſta tua exempla nihil prorſus ad rem faciant, primùm dico, nos de hominibus loqui, non de Angelis: idcirco exemplum Angelorum, quod primo loco affers, nihil ad rem facere, ut poſtea pluribus oſtendemus. deinde dico, nos loqui de hominibus alioquin juſtis, & in nullo peccati habitu hærentibus, veroq; Dei timore præditis. Vnde tertiò conſequitur id, quod diximus, nos non loqui de quovis peccati actu, ſed de eo tantùm, qui ex humana quadam imbecillitate profectus, verum Dei timorem, & fidem in Chriſtum non excludit. quartò, nos loqui de eo, quid fiat ſub Novo Fœdere, non verò quid ante illud factum fuerit. quintò deniq;, nos loqui, non de damnatione temporaria, ſed de damnatione ſempiterna. Hi ſunt ſcopuli, Meiſnere, quos nullum tuorum iſtorum exemplorum effugiet, & ſi non in omnes, ſaltem in aliquem illorum quodvis impinget.

Primum exemplum eſt Angelorum, qui peccarunt: quod exemplum ſic proponis, ut ipſe oſtendas, illud nihil prorſus ad rem facere. Exprimens enim eorum peccatum, dicis, Eos à Deo juſtos creatos, per ſuperbiam ab ipſo defeciſſe, & non tam propter diuturnum habitum, quàm propter unicum actum malum, ex Angelis lucis, in Angelos tenebrarum mutatos eſſe. *Num ergo tibi ſuperbia non videtur eſſe habitus vitioſus? num*

à Deo deficere actus est talis, qualem nos intelligimus, cùm nullus isto detestabilior cogitari possit? Num si non tam propter habitum diuturnum, quàm unicum actum sunt damnati, non tamen etiam propter habitum, & quidem diuturnum sunt damnati? Quid ergo tibi in mentem venit Angelorum istorum exemplum proponere, si non solum habitum vitiosum habuerunt, sed etiam diuturnum, nec habuerunt tantùm, sed etiam propter illum damnati sunt? Istud autem mysterium, eos propter unicum, non plures actus, & magis propter actum, quàm propter habitum damnatos esse, quis tibi aperuit? Sed demus, Angelos planè propter unicum aliquem vitiosum actum damnatos fuisse, num ab Angelis ad homines hac in parte rectè ducitur argumentatio? Angeli à Deo, tua ipsius confessione, justi sunt creati. Nos, ut tu vis, originali cuidam peccato & injustitiæ mancipati sumus, sic, ut non peccare non possimus. Num igitur æquè grave est, si peccet homo, quàm si peccet Angelus? Homo sæpè ex errore, ex mera infirmitate peccat: Angelus nonnisi ex mera malitia peccare potest. Homo Deum nunquam vidit: Angelus cum Deo in cœlo habitans non videre ejus Majestatem non potest. quid igitur mirum, si homo peccet? sed illud prorsus mirum, si peccet Angelus. Et tamen Meisnerus ab Angelis hac in parte argumentum ducit ad homines: nec tanquam à pari, sed etiam tanquam à minori probabilitate ad majorem. Qua in re Petrum se imitari dicit, qui etiam

ab Ange-

ab Angelorum punitione argumentum ducit, ad hominum punitionem concludendam 2. Petr. 2. 4. Sed, Deus bone, quorum hominum! Pseudodidascalorum, Hæresiarcharum, Deum, qui ipsos emit, abnegantium, avarorum, impurorum, superborum, & quibus non peccatis ac sceleribus pollutorum! Nec tamen apparet, eum à minori ad majus, ut Meisnerus facit, argumentari, potuit enim à pari. Nam quemadmodum pro hominibus, ad eorum peccata excusanda, amoliendamq́ pœnam, facit eorum infirmitas, & longè major ad peccandum, quàm in Angelis, pronitas: sic vicissim pro Angelis facit eorum naturæ præstantia, multoq́ major, quam hominum dignitas. Idcirco etiam Meisnerus non ausus est ex hoc Angelorum exemplo concludere id, quod voluit: sed conclusit id, quod debuit, nempe, Deum homines delinquentes puniturum. quod nullus nostrum negavit unquam, imò longe validiùs ac veriùs id affirmamus, quàm Meisnerus, qui ad mortem usq́ delinquentes, id est, in peccatis hærentes, dummodo morituri pœnitentiam agant, punitũ iri à Deo negat: per quod ipse hoc suum argumentum ab Angelis ductũ penitus convellit. Quemadmodum enim nõ sequitur: Si Deus Angelis peccantibus pœnitentiam non concessit, multo minùs concedet hominibus: sic neq́ istud consequitur: Si Deus propter unicum peccati actum Angelos damnavit, etiam damnabit homines.

Affert secundò exemplum primorum Parentum, qui unico peccati actu ex paradyso exturbati

 sunt,

sunt, & reatum mortis æternæ incurrerunt. Sed primùm, Meisnere, longè graviùs peccarunt primi parentes, quàm nos eorum posteri, si illi justi fuerunt à Deo conditi, id est, tales, quemadmodum vos vultis, ut nullam ad peccatum inclinationem haberent, nec ullis voluptatibus carnalibus capi ac deliniri poßent; nos verò cum peccato originali nascamur, & renati etiam nihilominus, ut Meisnerus loquitur, sensum, radicem, vitiosum habitum istius peccati perpetuò retineamus. *Præterea, hoc exemplum id tantùm ostendit, propter unicum actum poße aliquem è Regno cœlorum excludi, & mortis æternæ reum fieri; non autem id neceßariò, seu semper fieri. Nam alioquin etiam sequeretur, quemadmodum primis parentibus non profuit pœnitentia, (nam procul dubio eos istius sui facti pœnituit) quominus ex felici illo statu exturbarentur, sic nec nobis post peccatum profuturam. Deniq; longè maxima est hac in parte inter illos & inter nos differentia. Illi enim unicum tantùm præceptum habuerunt, illudq; observatu per quàm facile. At nos tot præcepta Dei habemus, & observatu valde ardua. Vnde non mirum est, illos propter unicum actum morti fuiße mancipatos, nos verò non propter quemvis actum, sed propter quemvis habitum mancipãdos eße.*

Exemplum Petri, Christum abnegantis, etiam nihil ad rem facit: quia nos de actibus tam enormibus, qualis est Christi abnegatio, non loquimur, & ultrò concedimus, talem actum, licet unicum, è Regno cæ-

gno cæ-

gno cœlorum excludere. Quem Petri actum dum Meiſnerus exaggerat, & Petrum averſum fuiße, eiq; novâ converſione opus fuiße docet, pro nobis facit. Dum verò aßerit, ejusmodi actum pœnitentia tolli poße, ſi per pœnitentiam talem intelligit, qualem poſtea Petrus egit, qui Chriſti nomen confeßus eſt, & illius causâ cuncta pertulit, adeoq; mortem acerbiſſimam perpeßus eſt, libenter id concedimus: ſi verò ſuam illam pœnitentiam intelligit, quæ in ſolo dolore animi ex peccatis orto, & in meriti Chriſti fiducia conſiſtit, nequaquam id concedimus. Hac enim ratione cuiq; Chriſtum abnegare, ſine ſalutis æternæ jactura, liceret, dummodo talem pœnitentiam ageret. quo nihil Chriſtianæ religioni magis adverſum, & Chriſti dictis, de abnegatione ſui, magis contrarium excogitari poteſt. Et deniq;, ſi pœnitentia iſta tam graves actus tollere poteſt, & efficere, ne ullam vim ad condemnandum habeant, multo magis tollere poterit actus longè leviores, idq; cum vivâ fide, & vera vitæ juſtitia conjuncta, quod ſolùm nos dicimus.

In reliquis etiam tribus, quæ ſequuntur exemplis, de homine, qui ligna collegit die Sabbati, lapidato; Num: 15. 32. *de Iſraëlita cum muliere Madianitide ſcortante, à Phinea confoßo;* Num: 25. 6. *de Achane, propter ablationem anathematis cum familia & pecudibus omnibus lapidato, & deinde cum reliquis omnibus bonis exuſto:* Ioſ: 7. 1. *In his, inquam, exemplis tantùm de certis quibusdam actibus agitur. At nos de quibusvis in genere*

nere actibus vitiosis quærimus. Et sanè si agamus de damnatione temporali, ad quam ista exempla pertinent, plurimi erant actus, imò & habitus vitiosi, ob quos tamen sub lege non damnabantur homines, nec capitis pœna afficiebantur. quales erant omnes ignorantiæ, quibus expiatio sub lege fuit concessa, Levit.4. qualia erant ea peccata, in quæ ex humana quadam fragilitate facilis est in vita communi lapsus, adeò, ut & perjuria quædam Levit. 5. v 1. 4 & 6. 23. & furta Ex.22. etiam sacra Levit. 5. 14. capitalia non fuerint. Imò neq; scortatio capitalis fuit Exo: 22. 16 17. Deut. 22. 28. 29. Plurima quoq; erant vitia ac peccata, quæ lex secundum sensum illum externum & literalem ne prohibuit quidem, nedum ut iis capitis pœnam ac damnationem constituerit: Vt injurias ulcisci, seu malum pro malo reddere, conviciari, inimicos odisse, divitiis, honoribus, voluptatibus deditum esse, comessari, potare, inebriari, tripudiare, aliisq; rebus carnalibus exhilarari: quibus in rebus Iudæorum felicitas & præmium servatæ legis positum fuit, tantum abest, ut lege prohibitæ fuerint. Itaq; si ex lege petenda sunt exempla, facilè probatu erit, plurimos peccati actus, etiam crebrò repetitos, sub lege temporalem damnationem non attraxisse. Dices, collectionem lignorum die Sabbati, ablationem ex anathemate fuisse actus per se exiguos, & tamen tam graviter punitos. Vnde appareat, quemvis peccati actum iram Dei ac damnationem attrahere. Atqui jam ostendimus,

non

non omnes actus fuiße tales. Quòd verò nihilominus aliqui tales fuerint, licet per se & sua naturâ leves eßent, nec ullam in se naturalem turpitudinem haberent, istud legis severitati, & divinæ voluntati imputandum est. In Evangelio autem tales actus prohibiti prorsus non sunt, ne dum ut propter eos damnari quisquam debeat. Iam vero si de damnatione æterna loquamur, fatemur, quemvis peccati actum sub lege damnationem istam attraxiße, nec quenquam per legem vitam æternam potuiße consequi, nisi operum vi ac merito, ut jam antea ostendimus, quippe cùm lex non respiciat virtutum ac vitiorum habitus, sed tantùm actus. At severitas ista locum non habet sub Evangelica gratia, quæ viva fide, & vera vitæ justitia contenta est, ac proinde propter illos actus, qui ab hominibus vera fide justitiaq; præditis, ex imbecillitate quadam committi poßunt, homines non damnat.

Tu vero, Meisnere, tui & tuæ pœnitentiæ nunquam obliviscêris. Vis enim & illum, qui propter Sabbatum violatum lapidatus est, & Achanem propter anathematis ablationem lapidatum, si pœnitentiam ante mortem egerunt, minimè damnatos eße. Illum etiam impurum scortatorem, à Phinea interfectum, non excluſißes cœlo, si pœnitentiam istam tuam agere potuißet, adeò, ut tua sententia non tam propter scortationem, quàm propter pœnitentiam non actam damnatus sit. Iam vide Meisnere, quam fortiter adversum nos rem egeris, qui etiam sub Le-

ge, e-

ge, etiam impurissimos peccatores, etiam pœnas suorum scelerum jam dantes, propter pœnitentiam istam tuam, dummodo vel tantillum temporis ad eam agendam illis supersit, è Regno cœlorum excludi negas. Nos verò sub Evangelio, non impuros peccatores, sed homines justos, & omnibus virtutibus præditos, non in impuro aliquo & scelesto actu à divina ultione deprehensos, sed in sanctitate vitæ ambulantes, propter aliquos vitiosos actus, ex mera infirmitate, non malitia profectos, non tantùm propter istam pœnitentiam, sed etiam propter ipsorum justitiam, idq; divina gratia & misericordia, damnatum iri negamus. Vtri ergo nostrum, Meisnere, seu pro pietate magis dicunt, seu majorem peccandi licentiam inducunt?

Porro pœnitentiæ istud, ad evitandam damnationem, beneficium, in lege fuiße conceßum, merum est somnium. Nam ad damnationem temporalem quod attinet, ista ipsa, quæ protulisti, exempla, & alia innumera manifestè ostendunt, quibusdam actibus inevitabilem mortis pœnam fuiße constitutam, quæ nulla pœnitentia, nullis questibus & lachrymis averti potuerit. Alii verò actus non pœnitentia ista, sed sacrificio aliquo, &, si damnum aliquod proximo illatum erat, adjuncta compensatione tollebantur. Populo quidem Israëlitico in genere hoc conceßum divina benignitate fuit, ut pœnitentiam suorum scelerum agens, eorum remissionem consequeretur, & in gratiam à Deo reciperetur. At benefi-

beneficium iſtud, non cuivis Iſraëlitæ viritim, imò nec cuivis oppido, aut civitati, ſed, ut diximus, toti populo lege divina conceßum fuit: nec antequam graviſſimas pœnas populus dedißet; ſed ſæpe poſt pœnas demum datas: nec propter pœnitentiam qualem vult Meiſnerus, ſed, ſi Deum toto pectore, totoq; animo quæreret, ſiq; in harum tot rerum adverſis deprehenſus ad eum rediret, eiq; dicto audiens eſſet, *Deut. 4. 29. 30. Damnationem autem mortis æternæ, & vitæ æternæ privationem, quenquam, qui ullum Dei mandatum transgreßus eßet, iſta pœnitentia Meiſneriana ex legis conceſſione potuiße effugere, toti Scripturæ prorſus eſt contrarium, imò & ipſius legis naturæ, quam ipſe Meiſnerus paulò poſt pag. 36. in ſecunda ſua ratione adverſum nos agnoſcit & urget. Lex enim aut integrè ſervari vult, aut damnat.* Non *negamus, ſub lege multis pœnitentiam iſtam, ſeu coram Deo humiliationem & abjectionem, ad effugiendas temporarias pœnas profuiße; non negamus etiam, imò affirmamus, plurimos propter vitæ innocentiam, aut etiam emendationem, licet legem perfectè non ſervarint, juſtificatos tamen à Deo ſub lege fuiße, vitamq; æternam adepturos eße: Sed id non ordinaria aliqua in lege via, verùm extra ordinem, & ſupra legem divina benignitate ac gratia evenit. Quæ divina gratia, de juſtificandis iis omnibus, qui vitam emendaverint, & ſobriè, juſtè, piè in hoc ſeculo vixerint, id eſt, vivam fidem habuerint, licèt antea*

vel im-

vel impii fuerint, & aliquando etiam post conversionem in ipso pietatis cursu labantur, Novo Fœdere *demum promulgata est, &* Christi *sangvine in perpetuum sancita & stabilita. Qui hoc ignorat, Meisnere, is Legis & Evangelii discrimen non intelligit.*

Israëlitæ illius cum Madianitide à Phinea confossi peccatum, (quanquam non erat, cur hunc unum tantùm commemoraret, cùm illo die viginti quatuor hominū millia, propter idem fornicationis crimen perierint,) an unus tantùm fuerit actus, Meisnerus non ostendit, tantùm id ponit. Atqui si quis circumstantias istius historiæ consideret, multo verisimilius est, plures fuiße, quàm unicum. Dicitur enim ab initio hujus capitis, ubi hæc historia describitur, Num: 25. *Israëlitas in Cittimo sediße, id est, commoratos fuiße, & dum illic morarentur, cœpisse scortari cum* Moabitarum *puellis, quod sanè indicat, eos non uno actu sed pluribus fuiße scortatos; præsertim cùm dicantur à puellis istis ad Deorum falsorum sacrificia fuiße pellecti, adeò ut se incurvârint Diis, & Baalphegori conjunxerint. quod similiter consuetudinem cum puellis istis arguit. Apparet præterea ex v. ult: Madianitidem hanc nobilissimum fuiße scortum, ut pote quæ scortationis dux & auctor fuerit, & per quam Madianitæ Israëlitas in fraudes ac peccatum illud pellexerint. Quæ omnia indicant, non unum, sed plures scortationis actus, ut à reliquis, sic & ab isto Israëlita fuiße commißos, ut pote qui etiam scortum hoc suum in castra Israëlitica addu-*

ea adducere ſuerit auſus. Præterea ſcortatio iſta non fuit ſimplex ſcortatio, ſeu cum puellis Iſraëliticis congreſſus, quam capitalem ſub Lege non fuiſſe jam ante oſtendimus, ſed congreſſus cum Moabiticis puellis, cumq; Idololatria & cultu Baalphegoris conjunctus. Hoc erat, quod maxime Deum offendit, & propter quod ſolum tanta clade Deus populum uno die affecit, ver. 3, 4, 5, 16. Sed demus unicum fuiſſe actum, & quidem ſcortationis ſimplicis. Num exiſtimas eos eſſe nos, qui putemus, unicum ſcortationis actum, dummodo habitus abſit, iram & ultionem Dei non attrahere? quin imò ſi quis poſt talem actum ſubitò extingvatur, etiamſi vel maximè ſe peccâſſe moriens doleret, quod ſolum tibi ſufficit, etiamſi ad illud usque tempus juſtus fuiſſet, quod tu non requiris, hunc tamen vel illa ipſa tam ſubita morte à Deo puniri, & propter iſtud peccatum è medio tolli, vel etiam Regno Dei meritò excludi putamus. Actus enim ſcortationis in homine, qui Chriſti ſit membrum, & cujus corpus ſit Spiritus ſancti domicilium, eſt valde fœdus, illiq; ſanctificationi, quâ Chriſtiani Deo ſunt conſecrati, & ſine qua nemo Dominum videbit, vel maximè repugnat, 1. Theſſ: 4. Heb: 12. Videamus nunc rationes Meiſneri.

Rationes Meiſneri, quibus id ipſum oſtendi putat.

Prima ratio eſt. *Quòd per noſtram ſententiam licentia peccati inducatur.* Quando enim, *inquit*, audiunt

audiunt homines, non quemlibet actum vitioſum, ſed duntaxat habitum, & peccandi conſvetudinem è Regno cœlorum excludere *&c.* mox ſuggeret caro & mundus, utendum eſſe hoc ſeculo, tentanda quædam, & gratificandum concupiſcentiæ propriæ, ac ſvaſioni aliorum *&c.* & ſic vagari quempiam poſſe per omnes peccati ſpecies & ſingulis actibus ſingula peccata, eorumq; modum experiri. *Credo, Meiſnere, ſi iſta expēdiſti, quæ adhuc diximus, te jam pudere iſtius tuæ rationis. Nam primò videre potuiſti, nos non dicere, habitus vitioſos* duntaxat *hominem è Regno cœlorum excludere; ſed hanc vocem à te addi, cùm agnoſcamus, multos eſſe actus, qui hominem è Regno cœlorum excludant, licèt non omnes tales eſſe dicamus. Illos autem dicimus eſſe omnes eos, qui planè de induſtria, excuſſo Dei timore, ab aliquo committuntur. Vnde, ſi quis ita per omnes peccati ſpecies ſingulis actibus vagari velit, & carni indulgere, hunc damnari dicimus. Pugnat enim hoc cum vera juſtitia, & vero Dei timore, cujus proprium eſt, omnes actus peccati ſummo ſtudio vitare, & operam dare, ne unquam quidquam divinæ voluntati contrarium committat. Præterea qui ſic vagaretur per peccati ſpecies, nunc hujus, nunc illius peccati actum committendo, is licèt non plures certi alicujus peccati: plures tamen peccati in genere committeret actus, & ſic, etiamſi alicujus in ſpecie peccati habitum non haberet, pec-*

ret, peccati tamen in genere habitum haberet, ac proinde damnandus eßet. Vereor, Meisnere, ne, mutatâ sententiâ, pro peccandi licentia dicas nos nimiam quandam perfectionem, & humanis viribus inacceßam sententiâ nostrâ inducere. Sed quemadmodum illud procul à nobis abest, sic etiam istud. Mediam sequimur viam, quæ nec in licentiam homines abire sinit, nec in desperationem cadere. Dum dicimus, neceßarium eße ad consequendam salutem, ut totus in eo sis, ne Deum ullo peccati actu offendas, ac proinde ut omnium peccatorum habitum & consvetudinem exuas, nec ullam tibi pœnitentiam, si hoc absit, profuturam speres, refrænamus licentiam: dum verò iis, qui toto pectore Deo obedire contendunt, & tamen ex humana quadam fragilitate leviter interdum labuntur, veniam istorum lapsuum dari dicimus, arcemus desperationem. Adeò, ut nihil sit istâ nostrâ sententiâ magis efficax, magisq́; accommodatum ad hominem verè pium & justum reddendum. At verò qui omnes quidem peccati actus damnare ex una parte dicunt; ex altera verò, sui veluti immemores, statuunt, nullum eße tantum peccati non solùm actum, sed etiam habitum, licèt ad mortem usque durantem, quem morituri hominis pœnitentia, nescio quæ, ac in Christi meritis fiducia tollere nequeat: illi, illi latam, *ut tu de nobis injuriâ dicis,* ad malos actús committendos portam aperiunt. *Ideò etiam videmus, homines hâc sententiâ imbutos, non malam horre-*

re vitam, sed tantùm inopinam mortem: hanc deprecantur unicè, (ignari, nec bonæ vitæ poße eße malam mortem, nec malæ vitæ mortem bonam:) & in ista sua pœnitentia proram ac puppim salutis suæ collocant. Desine *ergo tandem, Meisnere, sententiæ nostræ & Religioni objicere, quòd licentiam peccandi inducat, seu,* quòd talem propugnemus hypothesin, quæ cum veræ pietatis studio, & immunitate à delictis consistere nequeat. *Et agnosce, jure nos & doctrinam nostram ideò commendare, ac, ut ab omnibus recipiatur, cupere, quia pios cumprimis vi sua reddat homines, & à peccatis liberos; & vestram ideò rejicere, ac rejectam ab omnibus velle, quia in peccatis ad mortem usque hærentibus libertatem & salutem polliceatur. Quo errore vix ullus humano generi perniciosior, & pietatis studio infestior excogitari potest.*

Altera ratio à legis natura. *Ostendit* hanc esse legis naturam, ut quoslibet actus malos prohibeat, & cuivis actui maledictionem ac mortem *(nempe* æternam*)* pro pœna constituat. *Rectissimè omnino hoc dicitur, Meisnere. Sed si lege agere placet, quid tua illa pœnitentia in censum venit? Quocirca istud tuum dilemma, quod hic urges, in te retorquemus. Actus vitiosus aut legem violat, aut non violat. Si hoc, cōtradictio erit in adjecto. Nam actum vitiosum eße, & legem nō violare tollunt se invicem. Sin illud, certè, (tua verba sunt,) sequitur infallibiliter, actum vitiosum inducere re-*

atum

ætum mortis, ob veritatem & infallibilitatem legis, quæ omni transgreſsori maledictionem, ſeu æternam mortem indixit, de qua, ut addis, ne jota quidem perit Mat. 5. 18. Num dices, legem omnibus actibus malis, æternæ mortis pœnam cōſtituiſſe, ſed ea conditione, niſi ageretur pœnitentia? Hoc qui dicit, legis naturam & vim penitus tollit. Et ubi, quæſo, iſta conditio in lege appoſita eſt? Vbi ergo erit legis ille rigor? quomodo verum erit, neminem in lege juſtificari potuiſſe, quod toties urget Apoſtolus, ut oſtendat, nos lege relicta debere ad Evangelicam gratiam confugere? quid opus erat juſtitiam (id eſt, juſtificationem) Dei, quæ ſine lege ſit, revelare, juſtitiam nimirum per fidem? quomodo ex lege, & operum merito juſtificari unum idemq; erit? quomodo verum erit, legem iram operari, ſeu occidere, ſi conditionem pœnitentiæ tam facilem incluſit, non minùs quàm Evangelium? Deſine ergo, Meiſnere, vim legis urgere, qui pœnitētiam urges. Itaq; tu videris quid tibi reſpondēdum putes, ego id reſpondebo, quod dixit Apoſtolus, Nos non eſſe ſub lege, ſed ſub gratia: *& legis iſtum, omnes à ſe prohibitos actus æterna morte plectentis, rigorem, penitus per Chriſti Evangelium antiquatum, novamq́; conſequendæ juſtificationis rationem, valdè benignam, & gratiæ plenam introductam eſſe.*

Nec eſt, quod ullum præſidium in illis verbis Chriſti, jota unum de lege non eſſe periturum, *(quod tacitè videris facere,) colloces. Chriſtus enim*

non loquitur de rigore legis, qui per Evangelicam gratiam periit: ſed de præceptis legis, nec de iſtis omnibus, ſed tantùm de iis, quibus id, quod ſuâ naturâ honeſtum eſt, præcipitur. Nam alioquin omnia præcepta Cerimonialia, & Iudicialia etiam, quæ ad peculiarem illius Reipublicæ formam & ſtatum referebantur, ſunt ſublata. Lex enim per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. *ideoq́; quidquid in lege cum gratia, ut ille rigor, & veritate, ut iſta præcepta, non congruit, id omne per Evangelium ſublatum eſt.*

Tertia ratio ab Idololatria. Hæc, *inquit*, vel unico tantùm actu commiſſa protinus damnat, & è cœlo excludit. *quod probat* adoratione illius vituli *Ex. 32.* Iam ſi unicus actus Idololatricus damnat, cur non idem faciat fornicatio, adulterium, homicidium, licèt non repetantur crebrò, nec fiant ex habitu, vel per conſuetudinem. *Concedimus, Meiſnere, actum unum fornicationis, adulterii, homicidii hominem è regno cœlorum excludere, non minùs quàm Idololatriæ. Non ideo, ut tu putas, quòd lex tam illis, quàm huic, mortis æternæ pœnam conſtituerit: noſtrâ enim, qui Chriſti ſumus, nihil refert, quàm ſevera ac rigida ſit lex; qui ſpiritu aguntur, ſub lege non ſunt; contra eos lex, quantumcunq́; fulminet, nihil poteſt: ſed quòd omnes iſti enumerati actus adeò ſint turpes, ut in hominem vero Dei timore præditum, & perpetuo pietatis ſtudio ardentem,*

quamdiu

quamdiu talis eſt, cadere non poſſint. Viva fides, & vera vitæ juſtitia eſt norma Evangelica. Vbicunq; eſt iſta, quidquid lex contra ſtatuat, ibi ſalus eſt: ubi verò hæc non eſt, ibi neq; ſalus eſt, ac proinde quicunque actus cum illa conſiſtere non poßunt, iſti omnes, non minùs quàm habitus, ſalutem adimunt, niſi quis vitam ſic emendet, ut inpoſterum quàm longiſſimè ab iis abſit, id eſt, ſecundum illam, quam diximus, normam vivat. In Chriſto Ieſu, *inquit Paulus,* neq; circumciſio quidquam valet, neq; præputium, ſed nova creatura, *(id eſt, novus animus, nova vita, novi mores:)* Qui ſecundum hunc canonem incedunt, pax ſuper ipſos & miſericordia. *Hinc jam vides Meiſnere, cur, licèt lex quemvis actum vitioſum, non minùs, quàm Idololatricum, morte æterna plectat, non tamen idem ſub Chriſto fieri dicendum ſit: quippe quòd alia ſit legalis norma, alia Evangelica, ſecundùm quam, non verò ſecundùm illam, nos à Chriſto judicandi ſumus.* Gal: 6. 15.

Quarta ratio à defectu firmarum rationum. *Atqui, Meiſnere, nondum nos conſulueras, nec rationes à nobis exquiſiveras.* Nudam, *inquis,* poſuit adverſarius hypotheſin iſtam, *(nempe non quemlibet actum vitioſum è Regno cœlorum excludere,)* nullis cogentibus argumentis munitam. *Imò verò clariſſimum Scripturæ teſtimonium attulit: quod ſi tibi non ſufficiebat, meminiße debebas, Socinum ab initio ſtatim profeßum fuiße, ſe brevitatis causâ nolle hîc multis ea, quæ dicturus ſit, confirmare, quip-*

re, quippe jam alibi à ſe abundè confirmata. Deinde talem rationem non ſolent afferre, niſi illi, qui argumentandi onus in alios rejicere volunt, & nihil ſolidum habent, quod pro ſua ſententia afferant. Non vides, eadem quoq; ratione tuam hypotheſin premi poſſe? & quidem id nos, diſſolutis rationibus tuis, reipſa oſtendimus.

Sed age, hanc quoq; rationem tuam infirmam & falſam eſſe, collectis breviter rationibus noſtris, quas jam hinc inde ſparſimus, oſtendamus.

I. *Quòd tu ipſe ſententiam noſtram approbare cogaris. Nam ſi accedente pœnitentia, id eſt, animi poſt peccata dolore, & divina gratia, nullus non tantùm actus, ſed ne habitus quidem hominem è Regno cœlorum excludit, quod tu ſtatuis: multo minùs, accedente non ſolùm pœnitentia iſta, ſed etiam vera vitæ juſtitia, & divina gratia, leves quidam actus hominem è Regno cœlorum excludere dicendi ſunt, quod ſolum nos ſtatuimus.*

II. *Quòd quicunq; ſtatuunt, quemvis actum vitioſum hominem è Regno cœlorum excludere, aut ad ſua peccata & lapſus cæcutire; aut in deſperationē incidere; aut dari ſemper aliquod remedium, quo lapſuum quorūdam reatus tollatur, agnoſcere opus habent. priora duo pugnant cum officio Chriſtiano: tertium autem iſtud pugnat cum Adverſarii hypotheſi, eamq; tollit. Si enim ſēper eſt aliquod remediū ad quoſdam actus tollendos, nō quilibet actus reipſa ſeu effectu ipſo excludit è Regno cœlorum, ut nos dicimus;*

cimus; si ad omnes, ut vos vultis, nullus.

III. Cùm ad possidendum Regnum Dei planè sit necessarium, ne vitii alicujus consuetudine teneamur, aut actum aliquem enormem, qui verum Dei timorem excludat, committamus, quod & Socinus hoc loco, & nos superiùs variis Scripturæ dictis demonstravimus, nec Meisnerus negare audet: nisi etiam istud planè sufficeret, nullus servari posset, & omnibus etiam justissimis, Deiq; amantissimis pereundum esset, cùm nullus eorũ sit, qui ad eum statum perveniat, ut non interdum aliqua in re peccet.

IV. Quòd fidem in Deum, aut in Christum, non omnes excludant vitiosi actus, quemadmodũ patet ex eorum exemplis, qui constanti in Deum, vel in Christũ fide præditi, nihilominus tamen à levioribus delictis planè immunes non fuere. At in quocunq; est fides in Deum & Christum, is Regni Dei jus semper retinet, nec ab eo, nisi à fide deficiat, excludi potest.

V. Quòd ad salutem sufficiat justum esse. Hinc justis toties salus promissa legitur. Atqui justum esse non tollit quilibet vitiosus actus, sed tantùm omnis vitiosus habitus. Ad hanc rationem pertinet, quòd nulla sit condemnatio iis, qui secundùm spiritum ambulant, seu spiritu ducuntur, & gubernantur. At verò secundùm spiritum, quemadmodum superiùs ostendimus, ambulat, spiritu regitur & ducitur is, qui malè agere minimè consvevit, sed consvevit benè agere, & ex Christi præceptis vivere, licèt interdum ex imbecillitate quadam, aut errore peccet.

VI. *Quòd per adversariorum sententiam confundatur rigor legalis cum gratia Evangelica, seu potiùs gratia Evangelica, & modus justificandi in ea propositus tollatur. Modus enim justificandi in Evangelio propositus facilis est, benignus est, & omnis æquitatis plenus. At si quilibet actus vitiosus hominem alioquin pium, sub Evangelio justificari non sinit, & ex Regno cœlorum excludit, nihil isto justificandi modo rigidius, nihil durius, nihil magis legale arduumq; excogitari potest.*

VII. *Quodsi præterita omnia peccata, etiam gravissima scelera, hominibus ex gratia divina non imputantur, propterea quòd in Christum credant, & in vitæ novitate ambulent: multò minùs illis imputabuntur leves quidam actus, qui in studio pietatis, non ex consvetudine ulla, aut animo obstinato, sed ex humana infirmitate aliquando intercurrunt.* Si in luce ambulaverimus, *inquit Ioannes*, sicut & ipse est in luce, societatem habemus invicem, & sangvis Iesu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. *Atqui in luce ambulat omnis, quicunque pietati unicè studet, & rectè agere consvevit. Quocirca societatem ac conjunctionem cum Deo habet, & Filii ejus sangvis omnia ejus peccata expiat. Quodsi omnia, etiam ista, in quæ interdum ex mera infirmitate incidit.*

VIII *Quòd habitu peccati caruisse, & in eo totum esse ne unquam pecces, omnium virtutum habitu præditum esse, nullam enormem peccati actum committere,*

mittere, qui Dei timorem, aut virtutis alicuius habitum, ac perpetuum Deo obediendi ſtudium & conatum excludat, ſit ea pietas, quæ in hominibus, generatim loquendo, eſt ſumma ac maxima. Vnde conſequitur, Deum, pro ſua bonitate & æquitate eâ pietate fore contentum, ac proinde iſtos peccatorum actus, qui huic pietati interveniunt, eamq́ non tollunt, hominem è Regno cœlorum non excludere. Et hanc ob cauſam Deus ab ipſo mundi initio, etiam ſub Veteri Fœdere, quod, ut jam ſæpè diximus, operum meritum & perfectam obedientiam alioquin requirebat, tali pietate in unoquoque fuit contentus, & eum ſemper ex peculiari ſua gratia juſtificavit, qui eâ præditus fuit. Et non alia ratione juſtificati ſunt coram Deo omnes illi juſti, quorum Scriptura meminit. Nullus enim illorum tam juſtus proculdubio fuit, quin peccârit. Hinc juſtũ ex fide, *non ex operum merito, Scriptura victurum pronuntiat, breviſſimo compendio nobis omnem ſalutis adipiſcendæ rationem deſcribens. Nam dum non alium quàm juſtum victurum pronuntiat, oſtendit, juſtitiâ ad ſalutem opus eſſe, eaq́ tantâ, ut juſtus ob eam dici merearis: dum verò id non ipſius juſtitiæ vi ac merito futurum dicit, ſed ex fide, oſtendit, tantam non requiri juſtitiam, quæ omni prorſus labe careat, ſed ſi quid ad perfectionem illius deſit, fide, pro ſumma Dei bonitate ac miſericordia, ſuppleri. Vt hic ipſe Scripturæ locus per ſe firmiſſimum nobis ſententiæ noſtræ argumentum ſuppeditet.*

IX. *Denique idem colligere licet ex levioribus offensis, quæ inter fratres seu ejusdem Ecclesiæ membra oriri solent. quæ cùm tanti non sint. ut ob eas fraterna charitas, & spiritualis illa conjunctio rumpi debeat, seu eos, qui deliquerunt, excommunicationis pœnæ, quam vocant, protinus subjiciant: neq; etiam tanta vis illarum esse, quamvis peccata sint, censeri debet, ut hominem alioquin justum probumqúe Regni Dei iure & hæreditate privare dicendæ sint. Quæ enim Ecclesiæ decretis constringi ligariq; non merentur, ea nec Dei aut Christi damnationem attrahunt. Ipso Christo dicente:* Quidquid solveritis in terra, solutum erit & in cœlis. *Adde Pauli & Barnabæ, quorum illa contentio culpa omni vacâsse non videtur, itemq; Petri à Paulo reprehensi suprà memoratum exemplum, imò Sanctorum omnium, qui cùm sine omni prorsus crimine non sint, quotidiana tamen deprecatione & æquabili pietatis tenore, præsertim verò in sibi quoque obnoxios misericordiâ noxas suas eluunt.*

Videamus tandem, an etiam Socini rationem, quam hoc loco veluti obiter attulit, solveris. Ait ille, Paulum 1. Cor: 6. 9, 10. cùm quodvis carnis opus hominem è Regno cœlorum excludere docere vellet, non simpliciter fornicationis, ebrietatis, mentionem fecisse: sed, fornicariorum, ebriosorum. *&c. Fornicarium autem, & ebriosum esse, non unum aliquem istorum vitiorum actum, sed habitum notare: ac proinde ex Pauli sententia, non qui quod-*

vis carnis

vis carnis opus aliquando facit, ſed qui illud facere conſverit, è Regno cœlorum excludendum eſse. Meiſnerus ad hæc, Socinum principium petere, nec probare quod dicit. *Quanam in re principium petit? quòd Apoſtolus prædicto loco non loquatur de ipſis peccatis, ſed de peccantibus? Atqui hoc quivis videt. Ait enim: An neſcitis, quòd* injuſti *Regnum Dei non hæreditabunt? Ne erretis*: neq; fornicarii, neq; idololatræ,,neq; adulteri, neq; molles, neq; maſculorum concubitores, neq; fures, neq; avari, neq; ebrioſi, neque maledici, neq; rapaces *Regnum Dei poſſidebunt. Num iſta ſunt vitioſorum actuum nomina, non ipſorum vitioſorum hominum? An in eo principium petit, quòd* fornicarium *eſse*, ebrioſum *eſse, dicat eſse nomina hominum, qui iſtorum vitiorum habitum habent, non qui unicum illorum actum, committunt? At hoc ipſe communis loquendi demonſtrat uſus.* Apoſtolus, *inquis*, loquitur generatim, & peccata indefinitè intelligit, ſive ex actu fiant ſive ex habitu. *Atqui de eo nunc quæſtio eſt, Meiſnere. Itaque dum Socino principii petitionem objicis, ipſe principium petis. Num ergo tibi, verbi cauſâ, nomen iniuſti, quem primo loco ponit Apoſtolus, iniuſtitiæ, nomen avari, avaritiæ, nomẽ ebrioſi, ebrietatis, unicum actum, nomen maledici, unum maledictum deſignare videtur? Rigidus es nimium, Meiſnere. Sed omnium hominum lingvis ac iudiciis refutabere.*

Nec est quòd in Græcis nominibus, diffisus Latinis, præsidium causæ tuæ quæras, cùm dicis, πόρνους & μεθύσους in genere significare, illud quidem eos, qui se fœminis illegitimè miscent; hoc verò eos, qui inebriantur, sive semel, sive unico actu, sive ex habitu id faciant. *Negamus Sacras Literas his vocibus aliter uti, quàm ut consuetudinem aliquam significent. Num ideo, ut tu vis, πόρνος unicum actum istius vitii significabit, quia verbum πορνεύειν significat scortari, & μεθύειν, significat inebriari? quasi verò non eadem sit ratio in omnium & vitiorum & vitiosorum nominibus? an tamen propterea unicum vitii actum cuncta significant? Nomina ut virtutum, sic vitiorum, cùm ipsa per se habitum & consuetudinem ferè notent, non solent imponi nisi iis, qui consuetudinem habent illius actionis, quæ verbo cognato significatur. Evolve, Meisnere, Sacras Literas, & profer aliquem locum, in quo πόρνος significet eum, qui nulla scortandi consuetudine teneatur. Nam quod dicis, istam vocem in genere significare eos omnes, qui corpus illicito congreßu polluunt, sive semel id fiat, sive aliquoties, in eo principium petis, & dicis tantùm, non probas. Nam quod ad locum Heb. 13.4 attinet, quem citas, in quo dicitur Deus πόρνους judicaturus, is æquè est controversus. Ratio, quam affers, puerilis planè est. Πόρνους Deus judicat, seu punit. Eos, qui semel scortandi actum committunt, Deus judicat.*

judicat. Ergo isti sunt πόρνοι. Hac ratione & μοιχὸς, & quid non, concluderes esse πόρνυς. Non debebas, Meisnere, tam ineptè argumentari. Ais, non reperiri in Bibliis, quo ad hoc peccatum, distincta vocabula, quorum unum actus, alterum habitus sit index. *Erras Meisnere, cùm non solùm de habitu, sed etiam de quovis actu sermo est, dicitur aliquis πορνεύειν, aut πορνεύων, ut 1 Cor. 6.18. cùm de habitu, dicitur esse πόρνος. quanquam non est, cur de hac voce pluribus disputemus, cùm unum istius vitii actum homine Christiano prorsus indignum esse, ultrò concedamus.*

Similiter vocem μέθυσος significare in genere quemvis temulentum & inebriatum, vix ullo monstrabis ex Sacris Literis exemplo Cùm de actu loquuntur Sacræ Literæ, utuntur verbo μεθύειν aut μεθύσκεσθαι, vel participio μεθύων Apoc. 17. 6, cùm de habitu μέθυσος. Ais, Paulum Gal 5. v 19. seipsum explicare, ubi expressè vocat ἔργα vel opera carnis, non ἕξεις vel habitus. *Atqui nec Socinus unquam dixit, Paulum in Epist: ad Galatas, cùm opera carnis enumerat, per opera non intelligere ipsos actûs, sed tantùm habitus. Fatemur ultrò, per carnis opera intelligi ipsos actus vitiosos, sed* per facere ista opera, *si de quibusvis loquamur, negamus esse intelligendam unam actionem, sed dicimus, in aliquibus intelligẽdam esse faciendi cõsuetudinem. Num porrò, si in Epistola ad Galatas Paulus loqui-*

lus loquitur de ipsis vitiosis actibus, ideo sequetur, eum hîc non agere de vitiosis habitibus? Ais, Socinum in eo, quòd verbum faciendi de consuetudine faciendi accipiat, esse absurdum & iterum principium petere. *Imò tu iterum absurdus es, Meisnere.* Nam *& injuriâ Socino id objicis, & ipse hîc principium petis. Injuriâ id objicis: nam Socinus id non nudè affirmavit, sed ex isto, prioris ad Cor. cap. 6. 9, ut diximus, loco confirmavit. Ipse verò principium petis, dum dicis, Paulum istis verbis,* qui talia faciunt, etiã perspicuè dicere, quòd opera carnis, & actus superiùs ab ipso enumerati, semel tantùm perpetrati excludant è Regno cœlorum. *Atqui de eo nunc quæritur, an id dicat Paulus, nedum ut perspicuè dicat. Ipsa etiam Pauli verba mutâsti, nam Paulus habet,* οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες; *tu verò* ποιηθέντες: *ubi non tantùm tempus præsens, (quod ad continuationem & frequentationem actionis notandam aptè adhiberi solet,) in præteritum, sed ipsum quoq; verbum mutasti.*

Etiam paulò salsior es, Meisnere, dum dicis, te verbum *faciendi* de facto, non de consuetudine, nomen ἔργου de opere, non de habitu intelligere. *Ain' verò? Solus tu sapis, Meisnere? quasi Socinus aliter unquam intellexerit.* Facere *ipsam per se actionem significare novimus omnes, non consuetudinem; sed de eo quæritur, an non sæpe significet actio-*

cet actionem alicujus rei consuetam usitatam & sæpe repetitam? Hujus autem significationis innumera sunt, & in Sacris, & in prophanis, exempla, ut aliquis id facere dicatur, non quod aliquando tantùm, & raro facit, sed quod facere consuevit. adeoq́ hæc significatio verbi facere *in Sacris Literis est usitata, ut quod quis facere non solet, etiamsi id interdum faciat, non dicatur tamen id facere: ut cùm quispiam justitiam, voluntatem* Dei, *aut aliquid simile facere negatur. quod non ideo fit, quasi nunquam quidquam tale faciat, sed quòd id facere non soleat.* Ex *habitu enim & consuetudine, hominum mores & actiones multis in rebus æstimari solent. Quocirca non est, Meisnere, cur proprietatem vocis adversum nos urgeas, cùm non minùs, imò etiam magis communis loquendi usus nobiscum faciat.* De *nomine* ἔργυ *paulò ante diximus.*

Videre tandem potes, Meisnere, quàm falsum sit, omnem actum vitiosum non prorsus involuntarium, hominem è Regno cœlorum excludere, etiamsi absit omnis peccandi consuetudo, imò omnes virtutes adsint, & perpetuum rectè faciendi Deoq́ placendi studium, quámq́ ista sententia nostra nullam peccandi licentiam invehat, imò nihil illâ sit accommodatius & efficacius, ad verum seriumq́ virtutis studium in animis Christianorum excitandum, quàm deniq́ nihil absurdi, (contra quàm illi hîc objicis,) imò nil nisi pium sanctumq́ & verum in se contineat. Tua verò sententia, quâ statuis, omnes

peccato-

peccatorum non ſolùm actus, ſed etiam habitus, ſol animi dolore Chriſtiq́; meritorum fiducia quov tempore tolli, quàm ſit abſurda, ne dicam imp quàm non tantùm, (contrà quàm tu tibi bland omnem peccandi licentiam non tollat, ſed peccandi licentiam inducat, quámq; omne ver riumq́; pietatis ſtudium in animis hominum ext gvat; denique quàm digna ſit, ut vel ob eam ſolam (quandoquidem ad regnum Dei poſſidendum pror ſus neceſſarium eſt, in nullo peccati habitu manere & juſtè piè, caſtè, ſobrieq́; in hoc ſeculo vivere.) Ec cleſia veſtra deſeratur, & ad noſtram Hæc inquam, omnia ita ſe habere, agnoſcere ſi vo les, Meiſnere, facilè poteris. Illud placet, quòd judici um tuum aliquo modo ſuſpenderis, donec fuſiùs no ſtram hac de re ſententiam declararemus. Hanc er go jam, niſi fallor, pleniſſimè expoſitam habes. Tu um eſt, ut eam accuratè, & ſine præjudicio, ac in ti more Domini expendas. Quod ſi feceris, nihil du bitamus, quin pro tua eruditione & judicio, animiq́;, ut arbitramur, probitate, ea, quæ diximus, pro veris agniturus, & Deo gloriam ſis daturus.

eisn.
itus, sol
ia quov
n impi
andi
er
m exti
m solam
um pror
manere
re.) E
re
d judici
usiùs no
Hanc er
abes. T
ac in ti
nihil du
io, ani-
dixi-
iam